







D'HERTOGE
GENT
GAND

ANTI-FEBRONIUS,

FEBRONIUS ABBREVIATUS,

CUM NOTIS, ADVERSUS NEOTERICOS THEOLOGOS ET CANONISTAS, ETC.;

AUCTORE F. A. ZACCARIA,

SOCIETATIS JESU.

NOVA EDITIO, EMENDATA ET VITA AUCTORIS AUCTA.

TOMUS IV.



BRUXELLIS,

APUD X. RENAUDIÈRE, EDITOREM.

LOVANII,

TYPIS VANLINTHOUT ET VANDENZANDE.

MDCCCXXIX.



ANTI-FEBRONIUS.

FEBRONIUS ABBREVIATUS.

SE VEND AUSSI

A GENÈVE

CHEZ MADAME BERTHIER-GUERS,

LIBRAIRE,

ET NOTRE CORRESPONDANT POUR TOUTE

LA SUISSE.

ANTI-FEBRONIUS.

FEBRONIUS ABBREVIATUS,

CUM NOTIS, ADVERSUS NEOTERICOS THEOLOGOS ET CANONISTAS, ETC.;

AUCTORE F. A. ZACCARIA,

SOCIETATIS JESU.

NOVA EDITIO, EMENDATA ET VITA AUCTORIS AUCTA.

TOMUS IV.



BRUXELLIS,

APUD X. RENAUDIÈRE, EDITOREM.

LOVANII,

TYPIS VANLINTHOUT ET VANDENZANDE.

MDCCCXXIX.

Imprimatur

Mechliniæ, Martii 1829, *J. FORGEUR, Vic. Gen.*

JUSTINI FEBRONII

JURISCONSULTI

CAPUT VII.

DE AUCTORITATE EPISCOPORUM EX JURE DIVINO.

§ I.

Christus episcopatum instituit, eique propria ipse jura attribuit, perpetuo illi adhæsura.

Inde colligitur æqualis omnium episcoporum auctoritas.

Christus ex discipulis duodecim elegit, quos *apostolos* nominavit, mittens eos ad prædicationem evangelii, tanquam testes oculatos vitæ, doctrinæ, et resurrectionis suæ. His totum suum officium perficiendum generali mandato commisit : *sicut misit me vivens Pater, ita ego mitto vos*. Quod officium Christus *propria* auctoritate exercuit *circumeundo civitates et castella*, ipsi *delegata* auctoritate continuarent, doctrina eis tradita, infusa et experimentali. Ut apostoli in Ecclesia essent perpetui, dedit eis potestatem alios eligendi ad hoc officium, sicut ipse eos elegerat cum commissione et mandato generali, atque simili auctoritate munitos : *Ite, docete, præ-*

dicate; baptizate, et sicut misit me Pater, ita et ego mitto vos. Consequens est, omnes episcopos in sua institutione, *præveniendo omnem humanam ordinationem*, esse in potestate et auctoritate gubernandi Ecclesiam æquales, non tantum quoad ea, quæ *ordinis* sunt, sed et quæ *jurisdictionis*; constat enim, successorem in jura sui prædecessoris succedere, nisi ostendatur, hæc in successore legitime restricta esse. Citat dein Ambrosium et Hieronymum, qui alios apostolos Petro æquales faciunt.

Vocatione apostolorum expensa secundum scripturam singuli immediata vocatione apostolatum acceperunt a Domino cum omnibus juribus eidem adhærentibus. Sic Paulus ad Galat. 1, *Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum.* Lucas cap. 6. *Vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit.* Ipse Christus per ea verba, *euntes in mundum universum, prædicate etc. quæcunque alligaveritis etc.* Talem potestatem discipulis dedit; non ut acciperent, ad Petrum misit.

Juxta regulas legitimæ successionis ex eodem fonte, quo apostoli immediate, etiam horum successores suam jurisdictionem habent, sicut suam habent Petri successores ab eo, a quo Petrus ipse. Hæc principia si firma non permaneant, erit actum de legitima in Ecclesia successione.

Sicuti scriptura, ita et traditio absolute re-

pugnat prætenso juri Rom. Pontificis, conferendi jurisdictionem episcopis. Per duodecim circiter sæcula nullum influxum habuit potestas Petri et successorum in ordinationes episcoporum. Elegerunt episcopos plebs, clerus, episcopi comprovinciales cum metropolitano, hic confirmavit, et ordinavit cum suis suffraganeis : non dedit ad eligendum Papa consensum; non fuit ab eo petita, aut obtenta confirmatio; non data metropolitano neo-electum consecrandi potestas : non assignata a Papa diœcesis. Sicut Christus characteri episcopali potestatem ordinandi presbyteros, ita et consecrandi episcopos alligavit. Utraque hæc potestas haud dubie exercenda est juxta canones non a solo *Papa*, sed ab *Ecclesia* conditos.

Zallwein ait, rem absurdam, et humano captu superiorem videri, quod jurisdictio omnium episcoporum ex primatu Petri, velut ex fonte originario, immediate in ipsos diffundatur.

1. Episcopi in apostolicam auctoritatem succedunt, sic ut quidquid potestatis episcopalis *apostoli* habuerunt, id ab ipsis in episcopos transfusum sit. Quæ ab apostolis non ut *episcopis*, sed ut *apostolis* sunt propria, in episcopos non nisi forte ad tempus transierunt.

2. Omnibus et singulis apostolis dictum est : *quidquid ligaveris, quidquid solveris. Quoad hoc* nullus altero superior aut major est : nullus alterius potestatem restringere aut limitare potest,

quia omnibus eadem plenitudine et independentia data est. Idem est quoad facultatem annuntiandi evangelium, *euntes docete omnes gentes, baptizantes etc.*

3. Hoc sensu Hieronymus epist. ad Evag. ait: *ubicunque fuerit episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Regii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est sacerdotii.* Et Cyprianus: *episcopatus unus est, cujus a singulis pars in solidum tenetur.* Hæc plena potestas mansit usque ad falsas decretales.

4. Non constat, S. Petrum cuivis apostolo certam nationem aut populum prædicatione sua convertendum assignasse, et dum jam inter apostolos et Christi discipulos nonnulli fuerunt certæ Ecclesiæ assignati, hæc assignatio nullam inter apostolos, sicut nec inter episcopos essentialem differentiam induxit, nec impedit, quominus episcopi censeantur vocati ad impendendam omnibus fidelibus curam pastoralem, dum id necessitas aut salus populi exigit. Vid. cap. 3, § 1.

5. Hinc nihil circa administrationem ecclesiarum jure divino reservatum Papæ: quæ *canones* et *observantia* reservarunt, inter summæ sedis privilegia, maxime *patriarchalia* numerantur juxta illud concilii Chalcedonensis: *sedi Senioris Romæ, quod urbs illa imperaret, Patres jure privilegia tribuerunt.* Ibi. § 5, n. 1.

6. Vere scripsit Colletus in instit. theolog.,

S. Gregorium M. episcopi *universalis* nomen a se etiam rejecisse in eo sensu, quasi unus foret in orbe christiano episcopus, a quo suam cæteri mutuarent auctoritatem : omnes enim episcopi *pro Christo legatione funguntur* : omnes sunt *a Spiritu S. positi regere Ecclesiam Dei* : omnibus dictum : *accipite Spiritum S., quorum remiseritis peccata etc.* Ad hunc sensum Gregorium M. respexisse patet ex epist. 18.

7. Romani Pontifices usque ad sæculum nonum *Fratris* titulo ab episcopis compellati, hoc nomen fastidire incipientes, *Patris* titulum cum exclusione fraternitatis prætendunt. Sic Gregorius IV, epist. ad episcopos regni Francorum : *Romano Pontifici scribentes, contrariis eum in præfatione nominibus adpellastis, fratrem videlicet et Papam, dum congruentius esset, solam ei paternam reverentiam exhibere.*

8. Auctores contrariæ sententiæ, præcipue regulares, ait Febronius, in hac quæstione non satis aperte, sincere et distincte agere.

9. Divisio potestatis episcopalis, seu verius dilaceratio hujus dignitatis in eam, quæ est *ordinis* et *jurisdictionis*, a Christi instituto aliena est, non quod *distinguere* non liceat duplicem potestatem officii, sed *dividere* nefas est. Hujus rei indicium remansit in Ecclesia, quia non licet episcopum sine certæ jurisdictionis ac diœceseos attributione consecrari, per quod Ecclesia nihil facit aliud, quam quod jurisdictioni jam collatæ vel confe-

rendæ det objectum, in quod episcopus suam jurisdictionem exerceat. Adde cap. 3, § 1.

10. Bellarminum exagitat, quod pro mediata jurisdictione episcoporum nullum e scripturis novi testamenti locum adducat, quod semel observasse in re tanti momenti Bellarminum refutasse sit. Exin distinctionem inter *mediate* et *immediate* tanquam frivolam carpit.

NOTA.

Sacræ et eminentis episcopalis dignitatis, potestatisque jura convellere, aut deprimere nobis animus nunquam fuit, sed sicut illa Pontificis, ita et episcoporum jura salvare, defendere, omnique reverentia prosequi statuimus ita, ut etiam potestatem regiminis et jurisdictionis, quantum ad institutionem Christi, *immediate* a Deo in eos derivari ultro concedamus, quin tamen hæc sententia nostro systemati aut præeminenti auctoritati et potestati Rom. Pontificis quidquam detrahat, aut tantum officiat, ait Nicolaus Kales in sua dissert. de potest. episcop. primigen., ut supremus iste super omnes episcopos apostolico culmine sublimatus totius hierarchiæ ecclesiasticæ præsul divina sua et amplissima super cunctas christiani populi nationes protensa potestate in minimo se abdicare, aut impediri eapropter valeat, atque a regula constanter excipiantur ea, quæ Rom. Pontifici, qua capiti totius Ecclesiæ,

et D. Petri in universali apostolatu successori pro conservanda unitate specialissima prærogativa a Christo Domino collata, atque concessa dignoscuntur. Nos igitur, dum immediatam a Deo episcopis collatam potestatem concedimus, non est, cur ad singula respondeamus.

Attamen dum Febronius hanc sibi sententiam de immediata episcoporum auctoritate seligit, tueturque mordicus, nescio, qualiter se a contradictionibus extricare valeat. Si enim *Spiritus S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* : si hi immediate a Deo suam potestatem accipiunt : quomodo eandem accipiunt *ab Ecclesia* tanquam hujus ministri, prout toto capite I, id se demonstrasse gloriatur? pariter aliæ adhuc contradictiones satis patebunt.

Interim, non obstante hac sententia, quod potestas jurisdictionis (de qua sola hìc sermo est) in episcopis immediate a Deo sit, qui eam defendunt, necessario admittere debent, episcopos eam non accipere, aut tenere, nisi cum subordinatione, dependentia et restrictione ad summum et universalem primatem Rom Pontificem : hæc si non admittas, nunquam testimonia et argumenta contraria, nec ipsa gesta apostolorum, nec tandem traditionem explicare, aut dissolvere poteris.

Quæritur, utrum plenitudo potestatis solum officio apostolatus adhæreat, eique sit propria, vel an etiam in successores episcopos manaverit,

ordinique episcopali essentialiter inhæreat? Legimus in S. scriptura, post ascensionem Christi, tres adhuc apostolos, plures vero episcopos ordinatos fuisse; sed magna inter has ordinationes intercessit differentia : qui ad apostolatum assumpti fuerunt, non ab ipsis apostolis, sed a Spiritu S. sunt designati ac specialiter constituti. *Segregate mihi*, inquit *Spiritus S.* apud Lucam *Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos*. De Mathia Petrus divino afflatus spiritu edixit, implendam esse scripturam, *quam prædixit Spiritus S. per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum, qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus*. At neque Petrus, neque alii apostoli ausi fuerunt, propria auctoritate aliquem in locum Judæ vocare, eligere, et potestatem ei conferre, sed postquam inventi sunt duo, qui cum *apostolis congregati erant omni tempore, quo intravit, et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem*, *qua assumptus est a nobis*, Barnabas nempe et Mathias, non ipsi elegerunt, sed *orantes dixerunt : tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus et apostolatus, de quo prævaricatus est Judas* : tunc missis sortibus ad experiendam Dei voluntatem, sors cedidit super Mathiam, *et annumeratus est cum undecim apostolis*. In hos neo-apostolos omnem plenitudinem

potestatis, non ab apostolis, sed a Spiritu sine limitatione descendisse, nemo est, qui negat. At vero de institutione episcoporum aliud ex scriptura tenemus : quivis apostolus propria sua auctoritate episcopos eligebat, instituebat, ordinabat : attamen hi episcopi erant, non apostoli, in officio episcopatus apostolis succedebant, non in officio apostolatus eos apostolos vocatos, vel apostolis sicut Mathiam, Paulum, Barnabam adnumeratos fuisse nullibi legimus. Sed num hi etiam habuerunt omnem ac illimitatam plenitudinem potestatis, quam habuerunt apostoli eorum electores ac ordinatores?

Certe Paulus Titum Cretæ, Timotheum Ephesi constituit, ordinavitque episcopos : tenemus adhuc canonicas Pauli epistolas, queis quot præcepta, tot canones his episcopis dedit. Sed quid? si episcopi ex asse apostolis, et in omnia eorum jura successerunt : si, juxta regulas legitimæ successionis, ex eodem fonte, quo apostoli, immediate suam potestatem et jurisdictionem habent : si præveniendo omnem humanam ordinationem in sua institutione quoad potestatem gubernandi Ecclesiam, scilicet tum ordinis tum jurisdictionis cum apostolis sunt æquales, quomodo apostolus Paulus jam sibi æqualibus potestate et jurisdictione, immediate a Deo, non a Paulo accepta, his episcopis præcepta, ordinationes, leges dare potuit? cum æqualis in æqualem jus nullum habeat, nec singularis episcopus singu-

lari episcopo per se subjaceat. Quidquid dicas, et undecunque hanc Titi atque Timothei episcoporum ab apostolo Paulo dependentiam et subordinationem desumas, ex hoc exemplo semper verum, manifestumque est, non omnem potestatem æqua lance et jure ab apostolo in illos episcopos manasse, etsi fuerint ejus successores, et potestatem atque jurisdictionem ex eodem fonte, quo Paulus, nempe a Deo acceperint. Da quoque ulterius rationem, quare Titus vel Timotheus successores apostoli Pauli præter assignatas sibi, non etiam alias a Paulo fundatas, post mortem hujus apostoli pari potestate rexerint, ordinaverintque ecclesias, sicut Paulus adhuc vivens fecerat non obstante, quod proprios haberent episcopos? Quod si hanc potestatem in Paulo ad officium apostolatus, et ad plenitudinem potestatis, quæ in apostolis fuit, referre vis, hoc ipso probas, non omnem potestatem ab apostolis in episcopos manasse, plenitudinem potestatis ad officium apostolatus, non episcopatus pertinere, episcopos quidem esse apostolorum successores, sed non ex asse, saltem in iis, quæ proprie ad officium, ordinem et potestatem apostolatus pertinent. Vid. cap. 3, § 1. in not.

Porro constat juxta omnes doctores, quod illa potestas, quæ in cæteris apostolis tantum privilegium personale fuit, in Petro, qui constitutus est vertex non solum episcopatus, sed etiam

apostolatus, sic permanserit, ut ejus morte non finiretur, sed etiam ad ejus successores transiret; unde consequens est, ut successor Petri Rom. Pontifex in cæteros episcopos et ecclesias saltem eam potestatem habeat, qualem Paulus in eas, quas ipse fundavit, constitutis in iis jamjam propriis episcopis; imo qualem Petrus in omnes habuit, et vicissim omnes episcopi Rom. Pontifici eam dependentiam et subordinationem debeant, *qualem* Titus, Timotheusque etc. Paulo debuerunt, exhibueruntque.

Distributio diœcesium et assignatio portionis gregis manifestum dependentiæ et limitationis signum est: hæc distributio et assignatio a Christo facta fuisse non legitur: facta autem jam fuit tempore apostolorum vel a Petro, vel ab omnibus apostolis simul, sic ut singuli exin episcopi certa gregis portione donarentur. Quot dein etiam leges positæ sunt episcopis; ut apud suam *Ecclesiam et gregem* permanerent, residerent, ne gregem commissum desererent, ne alienum occuparent, ne auctoritatis limites transgrederentur? at si episcopi immediate a Christo habent jurisdictionem universalem in totam Ecclesiam, si ex institutione sua in potestate gubernandi Ecclesiam sunt æquales, quo jure Petrus, omnes apostoli, concilia hanc potestatem contra institutionem Christi potuerunt coarctare? hæc utique assignatio, divisio in episcopis circa eorum auctoritatem et missionem ad gubernandam Eccle-

siam patenter essentialem differentiam indixisset, utpote institutioni Christi e diametro contrariam.

Dum igitur nihilominus jam tempore apostolorum, et ab ipsis apostolis facta est hæc limitatio, fors etiam ex mandato Christi facta, quin et necessario facta ad vitandas confusiones, rectumque ordinem tenendum; hinc sequitur, quod episcopi a prima institutione sua, ubi ab apostolis sunt ordinati, in hoc sint æquales, quod nulli pateat jurisdictio in totam Ecclesiam, præterquam soli Petro, ejusque successori, cui ipse Dominus totum gregem et omnes oves pascendas commendavit, sed illa in cæteris, quanquam immediate a DEO acceperint, adhuc sit limitata, et dependeat a determinatione et assignatione certæ portionis gregis. Quis vero assignabit, nisi qui est pastor universalis totius gregis?

Omnes apostoli fundarunt ecclesias, multæque apostolicæ Ecclesiæ habentur : his magna reverentia semper habita fuit ob notam antiquitatis et apostolicæ traditionis depositum : nihilominus quamvis *apostolicæ* seu ab apostolis fundatæ essent, non idcirco omnium jurisdictio latius patebat, ita ut sæpe ne quidem jure metropolitico gauderent. Sic de episcopo Hierosolomytano, cujus Ecclesiam D. Jacobus apostolus fundavit, primusque rexit, concilium Nicænum can. 7, sic statuit : *Quia consuetudo obtinuit et antiqua traditio, ut Eliæ episcopus honoretur, habeat*

honoris consequentiam, salva metropoli propria dignitate. Quippe is tum necdum erat patriarcha, sed primum seculo V, talis constitutus, imo nec archiepiscopus seu metropolitanus, sed erat subjectus Cæsariensi Palæstinæ archi-episcopo et patriarchæ Antiocheno. Attamen a tempore apostolorum plurimum eminebant Ecclesiæ, Romana, Alexandrina et Antiochena, sic ut in plures et maximas provincias dominarentur, episcopi et metropolitæ cum suis Ecclesiis iisdem subjicerentur, et ideo Ecclesiæ *matrices* et *patriarchales*, eorum episcopi vero *patriarchæ* nominarentur, et quidem patriarchæ *apostolici, primævi, nativi,* quorum adhuc magna differentia erat ab illis, qui *ecclesiastici*, id est, ab Ecclesia postmodum instituti erant, uti Constantinopolitanus, Aquileiensis etc. Nicolaus I, in responsione ad Bulgaros circa annum 860, ita scribit : *Desideratis scire, quot veraciter sint patriarchæ? veraciter illi sunt habendi patriarchæ, qui sedes apostolicas per successiones Pontificum obtinent, id est, qui illis præsunt ecclesiis, quas apostoli instituisse probantur, Romanam scilicet et Alexandrinam et Antiochenam.* Interim inter has sedes Patriarchales talis nexus et ordo erat, ut horum episcopi, seu patriarchæ Alexandrinus et Antiochenus iterum Rom. Pontifici subessent, qui etiam suam potestatem et jurisdictionem in eos exercuit, uti sæpe monstratum est.

Jam quæro : undenam ista dependentia et

subordinatio aliorum episcoporum ad patriarcham et hujus ad Rom. Pontificem ortum habuit? a quo et quando patriarchæ in episcopos, et Rom. præsul in ipsos patriarchas hanc potestatem et auctoritatem obtinuerunt?

Profer, si potes, concilium; nam tanta subjectio seu subordinatio tot provinciarum et episcoporum totius orbis, auctoritate æqualium, tam concorditer et sua sponte absque concilio saltem fieri haud potuisset. Concilium Nicænum vero can. 6, hanc patriarcharum potestatem non solum jam agnovit, sed et ad traditionem atque antiquam consuetudinem retulit : *antiqua*, ait, *consuetudo servetur*. Dum igitur hujus rei initium monstrari non potest, atque ipsum primum totius orbis universale concilium consuetudinem hanc jam antiquam vocat, necessario ad traditionem saltem apostolicam referri debet.

Verum quis apostolorum hanc subordinationem instituit? nisi solus Petrus, qui has patriarchales ecclesias ipse primus instituit, rexitque, quique potestatem in reliquos duos patriarchas sibi reservavit, sic ut omnes tres Ecclesiæ ab ipso fundatæ essent quasi una cathedra, et ipse solus supremus patriarcha, teste Gregorio M. lib. 5, epist. 60, et lib. 6, epist. 37. *Veteres patriarchæ tres in una et eadem apostolica sedent cathedra, et præsident, qui Petri sedi omnes successére, Ecclesiæque suæ, quam unam in unitate fidei fundavit Christus, dedit et caput unum, quod*

tribus præcipuis trium regiarum urbium præsideret cœtibus, ita ut tres istæ sedes unitatis vinculo necterentur indivisibili, ecclesiasque cœteras cum capite strictissime necterent, quod caput divinitus institutum est, ut sit totius vertex unitatis.

At vero *si ex institutione Christi* potestas et jurisdictio episcoporum sit illimitata et universalis ad gubernandam totam Ecclesiam, uti tenet Febronius, quo jure Petrus, vel etiam omnes simul apostoli hanc institutionem Christi invertere, atque hanc episcoporum dependentiam, limitationem et subjectionem inducere potuerunt? et tamen id fecit Petrus; igitur quamvis potestas et jurisdictio episcoporum sit immediate a Deo, ea tamen ita universalis et illimitata non est: et dum id fecit Petrus, vel etiam alii apostoli, ut episcopi patriarchis, et hi sibi subjicerentur, per hoc ejus primatus jurisdictionis clare ostenditur.

Sed jam hæc primæva et apostolica traditio etiam antiquis, certisque testimoniis corroboratur. Siricius P. epist. ad episcop. Afric. apud Constant. tom. I, pag. 651. *Per Petrum et apostolatus et episcopatus in Christo cœpit exordium.* Eodem modo loquitur Innocentius I, epist. ad Victric. Anno 404. *Incipiam adjuvante S. apostolo Petro, per quem et apostolatus et episcopatus in Christo cœpit exordium.* Idem epist. ad concil. Milevit. *Arbitror omnes fratres et coepis-*

copos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris auctorem referre debere. S. Leo P. epist. 89. *Hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro apostolorum omnium summo, principaliter collocaverit, et NB. ab ipso quasi quodam capite dona sua vellet in corpus omne manare.* Idem serm. 3, in annivers. assumpt. *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus apostolis, cunctisque Ecclesiæ partibus præponatur; ut, quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. Magnum et mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio, et si quid cum eo commune cæteris voluit esse principibus* (apostolis) *nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.* Hoc sensu etiam Optatus Milevit. lib. 7, ait : *et præferri cæteris omnibus apostolis meruit* (Petrus) *et claves regni cælorum communicandas cæteris solus accepit.* Nil ineptum magis atque ridiculum, quam ille sensus, quem huic textui et clarissimis verbis Dupinius, Bossuetus atque Febronius affingunt, nempe intelligendum esse, Petrum accepisse claves communicandas cæteris a Christo. Verum litteræ obviæ et plano verborum sensui aperte adversatur. Cur enim Petrus a Christo *solus* accepit, si a Christo etiam cæteris communicandæ

erant? sic etiam D. Thomas lib. 4, contra Gentes cap. 76, ait : soli (Petro) *promisit : tibi dabo claves regni cœlorum, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiæ unitatem.* Denique ut hoc etiam testimonio ex Gallia antiquo firmetur, Cæsarius episcopus Arelatensis, ut est apud Labb. tom IV, concil. pag. 1294, ad Symmachum P. scripsit : *Sicut a persona B. Petri apostoli episcopatus sumit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus sanctitas vestra singulis ecclesiis quid observare debeant, evidenter ostendat.*

Hactenus allata Febronius cum suis nunquam in suo systemate apte, et ne quidem ad verisimilitudinem explicare valebit, sed necesse est, ut vel admittat, episcopos suam jurisdictionem non accipere immediate a Christo, sed per Petrum, quod hìc negat : vel si immediate a Christo accipiant, eam habere tantum cum subordinatione et dependentia ad Petrum tanquam primatem omnium episcoporum divinitus institutum, et hoc modo ruit suus episcopatus universalis et jurisdictio in totam Ecclesiam ; ideo utrobique confunditur.

His igitur rite pensatis, ut alia omittam, facile patet, quam invalida atque insufficientia sint, quæ Febronius hoc paragrapho non tam pro immediata, quam pro universali et illimitata jurisdictione episcoporum profert, quasi si illa immediate a Deo descendat, ideo non am-

plius possit esse in suo usu et exercitio subordinata, limitata atque dependens. Vidimus quidem zelosissimos episcopos Athanasium, Epiphanium, Chrysostomum, Eusebium, Basilium aliis quoque ecclesiis succurrisse, suumque pastorale officium, et curam utiliter impendisse. Verum istæ ecclesiæ tum periclitabantur, ubi vel grex a suis veris pastoribus derelictus fuit, vel intrarunt lupi rapaces loco pastorum, vel, premente persecutione, in exilium abrepti sunt. Non ignorabant hi episcopi, canonibus cautum esse, ne quis episcopus alienæ diœcesi se immisceat: sed tum deficientibus veris pastoribus, non solum charitas urgebat, ut vicini vel alii subsidium ferrent, sed, premente necessitate, etiam cura ipsis incubuit, alienis ovibus providendi, utpote qui vocati sunt in partem sollicitudinis universæ Ecclesiæ. Hoc sensu D. Cyprianus l. 3, epist. 13, ad Steph. P. scripsit: *Idcirco, frater charissime, copiosum est corpus sacerdotum, concordiæ mutuæ glutine atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro hæresin facere, et gregem Christi lacerare, et vastare tentaverit, subveniant cæteri.* Attamen contra Marcianum Arelatensem, de quo hìc loquitur Cyprianus, ipse nihil agit, sed cum præsto esse posset Rom. Pontifex, jus amplius in hoc recognoscens, eum urgebat, ut majorem suam auctoritatem interponeret. *Dirigantur*, ait, *a te litteræ in provinciam et plebem Arelate consistentem, quibus, abstento*

Marciano, alius in locum ejus substituatur. His et auctoritas Rom. Pontificis et dependentia episcoporum satis comprobantur.

De cætero, nemo negat, potestatem in omnibus episcopis æqualem esse, undeunde demum descendat, et sive maximis sive minimis civitatibus præsint, uti ait D. Hieronymus; at eorum potestas non est *æqualis potestati primatus*, cui omnes subduntur. Et si potestati patriarchali jure ecclesiastico, admittente Febronio, quædam *reservari* potuerunt, cur non et universali et divinitus instituto primatui quædam reservata esse noscantur?

Concedit equidem Febronius talem reservationem, attamen ex jure mere ecclesiastico juxta can. 28, concilii Chalcedon. *sedi senioris Romæ, quod urbs illa imperaret, Patres jure privilegia tribuerunt*. At mirum est, illum ex traditione ea proferre, quæ falsa sunt, nullum valorem habent, atque jam tum reprobata sunt. Canon ille, quod jam alibi monstravi, non a toto concilio, sed ab Anatolio fraudulenter et absentibus Papæ legatis, formatus fuit : sequenti die, petierunt legati, ut omnia prælegerentur, quæ a concilio præcedenti die acta sunt, quibus perlectis, de nullitate protestati sunt, et S. Leo hunc canonem reprobavit. *Quod firmavit*, ait S. Gelasius P. contra fautores Acacii, *in synodo* (Chalcedonensi) *sedes apostolica, hoc robur obtinuit, quod refutavit, habere non potuit firmitatem; et*

2*

sola rescindit, quod præter ordinem congregatio synodica putaverat usurpandum. Idem epist. 19, ad episcop. Dardan. scribit, S. Leonem P. hunc canonem *competenti refutatione evacuavisse.* Falsum quoque continet canon ille, quasi *Patres* sedi apostolicæ privilegia *tribuerint*, et hoc ideo, *quod urbs illa imperaret.* Ubi, quando Patres sedi Romanæ privilegia tribuerunt? Bonifacius I, teste Nicolao I, P. ad episcop. per Thessaliam constitutos scribit : quod *Nicæna synodus non aliquid supra eam* (Romanam Ecclesiam) *ausa sit constituere, cum viderit nihil supra meritum suum posse conferri : omnia denique huic noverat Domini sermone concessa.* Eodem teste, S. Gelasius I, epist. 42, ait : *privilegia sua per Petrum a Christo consecuta est Romana Ecclesia.* Ideo etiam ipse Nicolaus I, epist. ad Michaël. Imperat., quæ lecta et laudata fuit in synodo generali VIII, ita scripsit : *Privilegia istius sedis vel Ecclesiæ perpetua sunt, divinitus radicata atque plantata sunt, impingi possunt, transferri non possunt, trahi possunt, evelli non possunt : — — a Christo donata, a synodis non donata, sed jam solummodo celebrata et venerata.* Neque quod urbs Roma imperaret, privilegia accepit, sicut nec Alexandria, nec Antiochia jure patriarchali et privilegiis eminebant, eo quod essent celeberrima mundi emporia, maximæ civitates et Imperatorum sedes, sed quia Petrus primus in his sedit, atque in eas rivulos su-

premi sui primatus dispertiit, reliquitque, uti supra ostendimus. *Risimus autem*, ait Gelasius I, ad episcop. Dardan., *quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia episcopus fuerit regiæ civitatis. Nunquid apud Mediolanum, apud Ravennam, apud Syrmium, apud Treviros multis temporibus constitit Imperator? nunquidnam harum urbium sacerdotes ultra mensuram, sibimet antiquitus deputatam, quidpiam suis dignitatibus usurparunt? — — nam quod dicitis, Regiæ civitatis, alia potestas est regni sæcularis, alia ecclesiasticarum distributio dignitatum. — — Sit clara urbs illa potestate præsentis Imperii: religio sub eadem tunc firma, tunc libera, tunc provecta consistit, si potius, hoc præsente, propriam teneat sine ulla perturbatione mensuram.* Igitur ridiculum, et falsissima ratio est, magnis civitatibus majora privilegia competere, aut tributa esse ob præsentiam Imperatoris, et quod sic imperare dicantur.

Tandem adhuc adverto, Rom. Pontifices *Fratris* titulum non adeo dedignari, quando hodiedum episcopos suos Fratres compellant, et Clemens V in Clementin. 1, § *nec super. de pœnis* ait: *episcopi enim dicuntur sanctissimi, Christi legati existunt, spirituales sunt Patres, nostrique fratres et coepiscopi, columnæ comprobantur Ecclesiæ.* Gregorius IV, solum ait, episcopos Galliæ in inscriptione eum contrariis nominibus appellasse, *Fratrem* nempe et *Papam*,

quod utique verum erat, quia Papa *Patrem* sonat. Dum vero ait, congruentius esse, solam ei paternam reverentiam exhibere, et hoc verum est, quia non tantum episcopus, sed et totius Ecclesiæ primas et pastor pastorum est; persona autem, quæ multiplici et potestate et titulo gaudet, semper eo honoratur, qui præcipuus et honoratior est. Olim omnes episcopi, quin et presbyteri, et hi adhuc hodie apud Græcos *Papa* vocantur.

Quod tandem Febronius contra quasdam scholæ distinctiones oggerit, hoc sibi et Bossueto potius inculcet, qui talibus distinctionibus ipsi non raro utuntur, uti jam aliquoties memini : minus adhuc suas opiniones falsa traditione et reprobatis canonibus firmet, quod supra per canonem 28, concilii Chalcedonensis facere ausus fuerit.

§ II.

Quæstio de immediata vel mediata episcoporum auctoritate in concilio Tridentino proposita, nec tamen aperte definita fuit. Argumenta, quæ in utramque partem proposita fuerunt, recensentur et ponderantur.

Tridentina synodus sess. 23, de ord. cap. 4 asserit, *episcopos in locum apostolorum successisse.* Sicut ergo Pontifex suum primatum immediate habet a Deo, *quia est Petri successor*, ita epis-

copi inde etiam habent suam auctoritatem, quia æque sunt successores apostolorum. Narrat auctor ex Natali Alexandro, disceptationes ob hanc quæstionem in concilio habitas, dein agente cardinali Lotharingo, seposita quæstione, de qua variabant catholicorum sententiæ, an episcoporum jurisdictio esset juris divini, hæreticorum errores duntaxat damnatos fuisse; idem fere factum esse circa quæstionem de residentia, utrum sit juris divini.

1. Affert argumenta, quibus utebantur ii, qui stabant pro divina institutione et immediata jurisdictione episcoporum, quales fuêre Fonseca, Bartholomæus de Martyribus Segoviensis episcopus, Georgius Zischowid Seniensis etc.

2. Contrariam sententiam in amplissima oratione multis argumentis defendit Didacus Lainez Jesuitarum generalis : his relatis, ait Febronius, Lainium, variatis phrasibus, idem thema, quod in quæstione vertitur, proferre, et in fine nec minimum probasse. *Hi sunt*, prosequitur, *fructus spinosæ, senticosæ, frigidæ, jejunæ ac infelicis illius tum philosophiæ, tum theologiæ, quæ, testibus actis concilii Trevirensis anno* 1548, *in scholis recepta, fuit una ex causis hæresum sæculo* 16 *in Ecclesia enatarum.*

3. In Tridentino concilio Italiæ episcopi, quorum 187 aderant, dum universim illud ex 265 episcopis constabat, pro aris et focis dimicabant, ne concilium definiret, episcoporum institutio-

nem et residentiam esse juris divini; illorum secretum motivum prodit Petrus Gibert, quia illi ambiunt officia curiæ Romanæ, legationes, nuntiaturas, quæ volunt conjungere cum episcopatibus: nisi Pontifex possit a residentia dispensare, urgerentur conscientiæ stimulis, et quamvis exiguam habeant cognitionem dignitatis juris divini, ignorare nequeunt, non licere Pontifici dispensare ab eo pro arbitrio suo.

4. Idem Gibert vere dicit, Christum Ecclesiæ suæ non promisisse, fore, ut omnes veritates revelatas *simul* ipsi detegeret, sed *successive*, prout ipse volet etc.

NOTA.

Quanquam ego sententiam de *immediata* jurisdictione episcoporum alteri anteponam, parum tamen, aut nihil ex concilio Tridentino pro ista probari existimo. Ex illis verbis concilii, quod *episcopi in locum apostolorum successerint*, eo ipso nihil probatur, quia circa utramque sententiam concilium nihil definire voluit, et quia episcopi non sunt proprie apostoli, ideo non in omnem potestatem apostolorum successerunt. Argumentum Febronii ergo non valet, dum id ipsum ponit, de quo quæritur, et per quod ipsum concilium nihil definire statuit. Si dein Galli, si Hispani episcopi pro illa sententia stabant, num ideo sequitur, eam veram ac certam esse, quando ultimato in

hac re nihil a concilio definitum fuit? in eodem concilio canon de potestate et jurisdictione universali Romani Pontificis in universam Ecclesiam, pene ad verbum ex concilio Florentino exscriptus : jamjam paratus erat, sola promulgatio deerat : huic, teste Pallavicino, *cum pars maxima assentiretur, solum habita ratio est paucorum Gallorum, qui ne decima quidem concilii pars erant.* Hi quippe obsistebant, ne canon promulgaretur, quia per eum sententia Sorbonæ de superioritate concilii generalis supra Papam sic publice et solemniter damnari videbatur, et ideo Galli discessum et schisma minitabantur. Jam ita arguo : si sententia de immediata institutione et jurisdictione episcoporum ideo præhabenda et vera est, quia Galli et Hispani in concilio eam defendebant, adhuc magis vera et tenenda erit sententia de superioritate Papæ supra concilium generale, quia huic maxima pars concilii assentiebatur, de hac canon definitivus jam conceptus erat, et ne decima quidem pars, nempe soli Galli obsistebant, ita ut pro sententia de superioritate Papæ supra concilium inde communior Ecclesiæ sensus aperte pateat, ut taceam de concilio Florentino. Vid. cap. 1, § 8, in not.

Jam, quod attinet argumenta sententiæ contrariæ de mediata episcoporum institutione et jurisdictione, adeo infirma non sunt, ut despicienda videantur. Benedictus XIV, qui eam defendit, lib. 1, cap. 4, de synod. putat rationi

et auctoritati conformiorem, neque Isidorianis principiis doctissimus Pontifex innititur, de quo eum accusat Febronius, sed genuinis omnino ex traditione testimoniis, de quibus supra, fulcitur, quæ cum illimitata saltem et non subordinata potestate nunquam combinari poterunt.

Minus adhuc captum nostrum ista sententia transcendit, quod ait P. Zallwein : hanc quippe bene ceperunt doctissimi et celebratissimi D. Thomas, D. Bonaventura, Bellarminus, de Vargas, Fagnanus, quos citat Benedictus XIV, aliique permulti. Certum est, Christum potuisse Petrum et ejus successores ea prærogativa donare, ut episcopi ab his suam jurisdictionem accipiant : quid in hoc imperceptibile est? nunc quæritur, utrum res ita se habeat? quod fieri potuit, et factum non fuisse, adhuc neutiquam certum est, si defendatur, futiliter tanquam imperceptibile declamatur.

Porro in concilio Tridentino et illi episcopi, qui tam fervide pro immediata jurisdictione perorabant, salvam semper voluerunt potestatem Rom. Pontificis, atque subordinationem et dependentiam episcoporum, ita ut Guerrerus, nomine omnium Hispanorum, edixerit, sibi probari, ut poneretur in canone de episcopis, eos *jure divino* subjectos esse Rom. Pontifici, et ad ipsi parendum obstrictos. Sed hæc nostra sententia est, et dum ad hos provocat Febronius, hæc etiam sibi notet, et tunc in hac quæstione omnino manus jungimus. Vid. cap. 1, § 8, in not.

De Lainii argumentis quidquid sit, Febronius nondum probavit, illius temporis philosophiam et theologiam hæresum causam fuisse : subdole ait, *acta concilii Trevirensis* istud testari; in ipso concilio id non legitur, sed in oratione, quam ad concilium habuit Pelargus, qui tamen causam hæresum potius in ignorantiam et neglectum litterarum rejicit. Utrum rem acu tetigerit vir ille, dum satis notæ sunt aliæ et occasio et caussæ hæresum, non disquirimus; attamen si illud verum est, Deo sint laudes, quod non solus Papa et ejus principatus monarchicus fuerint causa hæresum, quod toties inculcat Febronius. Equidem verum est, philosophia religioni christianæ vix non semper inimica fuit; primis jam sæculis hæresum occasio et causa extitit, unde SS. Patres contra eam multum clamabant, sed philosophia Ethnicorum fuit. At num purior, et religioni nostræ aptior hodie est philosophia, præsertim illa, quæ dicitur *moralis* et *naturalis?* an non ad infidelitatem, ad naturalismum, et etiam materialismum prope viam sternit, revelationi adversatur, æquissima principia evertit, vetus jus gentium dissolvit, æquitati insidiatur, honestatem naturæ confundit, virtutes in vitia commutat, et ipsa vitia cohonestat? hæc modo oculis prendimus, manibusque palpamus. Sic vetera carpimus. Nova laudamus, quantumvis sæpe pejora prioribus.

Tandem Febronius cum suo Giberto summa injuria et calumnia afficit episcopos Italos : ergo

187 episcopi non alio fine in concilio decertabant, quam ut officia curiæ Romanæ, legationes, nuntiaturas reportarent? num id non solum de episcopis status Pontificii, sed etiam de Venetis, Lombardicis, Genuensibus, Sicilianis etc. qui talia munera ægre sperare poterant, præsumendum atque dicendum est? si ad episodia respondere vellent Itali, quærerent fors, quare ex Germania duo solummodo adfuerint episcopi in concilio, cum tamen istud in Germaniæ civitate celebratum sit, in quo etiam hujus nationis caussa præprimis agebatur, ita ut illi Germaniæ potius ad reprimendas in ea hæreses, et pacem reducendam in subsidium venerint? quare Germaniæ episcopi, aliique, si tantam habeant cognitionem juris divini, nihilominus pluralitatem episcopatuum ambiant, atque dispensationem in hoc petant a Rom. Pontifice, si tamen censeant, residentiam episcoporum esse juris divini, et nunquam non prohibita sit? quare non magis conscientiæ stimulis urgeantur ob talem dispensationem, cum officia curiæ Romanæ et cardinalatus cum episcopatu sint magis compatibilia, quam plures episcopatus in eadem persona? talia et plura regerent Itali, ita ut a similibus dicteriis satius foret abstinere, quando pro ignominia illata nil nisi major ignominia reportatur. Quin et aliam Giberti injuriam facile vindicabunt Itali, nempe *quod exiguam habeant cognitionem dignitatis juris divini*, cum notum sit, Italos episcopos et scien-

tia et rerum divinarum, ecclesiasticarumque notitia aliarum nationum episcopis si non præstare, saltem facile æquari. Non est, cur despectui habeat, vel injuriam faciat nationi Italicæ Febronius, iis responsa nunquam deerunt.

§ III.

Refutatur Fagnanus, omnem jurisdictionem a Papa in episcopos dimanare sustinens. Episcopalia jura in aliorum diœcesibus exercendi facultas Rom. Pontifici non competit.

Fagnanus ad cap. 1, X, de offic. jud. ord. n. 50, de illo textu: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*, sic ratiocinatur: hìc per *Ecclesiam* non potest intelligi *universalis*, respectu *singulorum episcoporum*, ita ut quilibet episcopus sit positus a Spiritu S. ad regendam Ecclesiam universalem, quod est erroneum; alioqui tot essent Papæ et primates, quot episcopi contra unitatem Ecclesiæ, et catholicam veritatem. Nec potest intelligi de *singularibus* ecclesiis, nempe quod episcopi singularium ecclesiarum omnes collective concurrant ad regimen universalis Ecclesiæ, quia Christus populos apostolis non divisit, sed omnes et singulos jussit *docere omnes gentes, prædicare omni creaturæ, quæcunque ligaveritis super terram, quorum remiseritis peccata*

etc. Ergo non est nostrum fingere, hanc limitationem et divisionem jurisdictionis fuisse factam immediate a Christo, cum ex Evangelio haberi non possit : sequitur ergo factam fuisse a Petro.

Febronius contra hæc ex cap. 3, § 1, ait, se ibi probasse unum et indivisum a Christo institutum esse episcopatum in *solidum:* divisis postea diœcesibus, sub apostolis mansisse illam *solidariam* in episcopis sollicitudinem et obligationem, sed sine præjudicio jurium cuique episcopo in suo districtu privative attributorum, quod confusioni tollendæ necessarium fuit, et ideo variis canonibus stabilitum, interdictumque, ne episcopi in aliena diœcesi ordinent, aut quidquid agant. *Jus episcopale* Rom. Pontificis par est cum jure aliorum episcoporum : jus primatus per se non importat facultatem functiones episcopales ordinarias in alienis diœcesibus exercendi.

Hæc non obstant, quin persæpe episcopi *suapte sponte* in Pontifices effuderint jura sibi solis competentia : Pontifices vero nil nisi in eorundem commodum et voluptatem aggrederentur. Hinc dum Leo IX, aliique Pontifices complures Italiæ, Galliæ, Germaniæque lustrarent provincias, nullus episcopus cogitavit eos anteire in sua propria Ecclesia, et Pontificalium munerum functione. Nempe concordiæ, charitatis lex, et boni publici amor omnium mentes rexit, temperavitque. E contra, haud raro obstitum fuit,

quando Pontifices in aliis ecclesiis jura episcopatus exercere, et quasi surripere tentarent.

1. Innocentius I, epist. ad Victric. Rothomag. Leo I, epist. 2, concilia Nicænum, Sardicense, Africana statuunt, ut nullus de aliena dioecesi clericum, nisi consentiente ejus episcopo, accipiat. Si in hoc *majoribus sedibus* aliquid speciale permissum est, omnibus commune evasit, nec Romanæ particulare jus tribuit.

2. Gregorius M. titulum *universalis episcopi* ideo damnat, quia videtur tribuere jus et jurisdictionem per omnes dioeceses. Hinc lib. 9, epist. 68, ait : *Si unus universalis est, restat, ut vos episcopi non sitis*, hìc Febronius laudat Gregorium M., quod nullus Pontificum apostolicæ potestatis plenitudine et universalitate tam late, nullus tamen humilius, sanctius, modestius regnaverit, propensius *solis* Ecclesiæ *utilitatibus* et *necessitatibus* servierit, quam Gregorius : eum nihil ex prætenso universali primatu egisse, hunc non nudo verbo, sed magis opere perhorruisse. Gerson tantum admittit plenitudinem potestatis Papæ in inferiores, *dum subest necessitas, ex defectu ordinariorum inferiorum, aut dum apparet evidens utilitas Ecclesiæ*. Hoc vero *non ad ordinariam potestatem*, sed ad jus *extraordinarium* in unitate episcopatus radicatum, et omnibus episcopis commune pertinet, quamvis specialius adhærens officio primatus.

3. Concilium Seeligenstadiense anno 1022,

declarat, Romam euntibus pœnitentibus, ut ibi a papa absolutionem accipiant, hanc indulgentiam illis non prodesse, nisi prius pœnitentiam sibi a suis sacerdotibus injunctam adimpleant. Quid hodie, mutato per falsas decretales jure ecclesiastico, diceret Romana curia, si particularis synodus talem canonem conderet?

4. Id confirmatur ex concilio Lemovicensi anno 1034, ubi quædam fraude elicitæ absolutiones Papales retractantur, *quia, inconsulto suo episcopo, ab apostolico pœnitentiam et absolutionem nemini accipere licet.* Adde Petrum de Marca l. 4, cap. 8, n. 6, in simili casu Henricus Leodiensis episcopus anno 1078, contra Gregorium VII, conquestus est : rescripsit ille : *mirati sumus, non ea te, qua decuit, ad apostolicam sedem reverentia scripsisse, sed nos ab absolutione illius parochiani tui, qui olim ad nos venit, mordaci invectione reprehendisse, tanquam apostolicæ sedis non esset auctoritas quoscunque et ubicunque vult ligare et absolvere.* Non sic scripsisset Gregorius M., sed scimus discrimen inter utrumque Gregorium in sentiendo et agendo.

5. Fulco comes Andegavensis anno 1050, monasterium in diœcesi Turonensi a se ædificatum a Petro cardinali apostolico delegato consecrari fecit, quod Galliarum episcopi, teste Rudolpho Glaber l. 2. c. 4, detestati sunt, quod etiam, sed modestius refert Hincmarus apud Flodoardum l. 3, cap. 13, utpote quia hoc esset

contra canones. Baronius vero ait, Glabrum in recensenda historia fidelem esse. Hæc disciplina, quidquid de speciali hoc casu in contrarium proponant de Marca lib. 4, cap. 8, et Thomassinus part. 1, l. 1. cap. 6, sæculo XI, episcoporum animis firmiter inhæsit. Salernitanus archiepiscopus opposuit se Urbano II, volenti consecrare Ecclesiam monasterii Cavensis, eo quod hoc esset exemptum.

6. Natio Gallica, antiquæ disciplinæ tenax, nunquam patitur, ut ordinario episcoporum juri a Pontificibus vel horum legatis præjudicium inferatur, aut impedimentum ponatur. Citat Talonum advocatum generalem in actione circa decretum Inquisitionis die 15 Maii, anno 1647.

7. Theotmarus archi-episcopus Salisburgensis cum aliis Bavariæ episcopis Joannem IX, *non unius urbis, sed totius orbis episcopum* vocant, se vero *humillimos paternitatis vestræ filios* inscribunt. Heriveus Rhemensis anno 900, in præsentia aliorum episcoporum profert sententiam contra occisores sui antecessoris Fulconis, ubi ait, se illos excommunicare *auctoritate episcopis per B. Petrum principem apostolorum divinitus collata*. Auctores historiæ litterariæ Galliæ notant, similes loquendi formulas in episcopis eousque inusitatas fuisse. Fructus primi hi erant Isidorianarum epistolarum.

8. Concilium ad Ansam anno 1025, exemptionem et privilegium, quod pro suo monaste-

rio a Papa se habere ostendit Odilo abbas, ratum non habuit.

9. Bossuetus in defens. declarat. cleri Gallic. lib. 13, cap. 11, contrariam sententiam de mediata jurisdictione episcoporum merito vocat commentum priscis sæculis inauditum, et sæculo decimo tertio in theologiam invehi cœptum, ubi magis pessimis philosophicis rationibus agere, quam Patres consulere maluerunt.

NOTA.

Si Febronius hìc solum suam thesin validis rationibus firmaret, aut Fagnani argumenta debite refelleret, non foret nobis quidquam contradicendi necessitas; sed cum ea in medium proferat, quibus non tam immediata et divina episcoporum potestas probatur, quam potius divinus primatus in nihilum redigitur, interim suam caussam misere defendat, hinc ejus falsa principia, speciosos rationum prætextus et præjudicia rursum detegere juvat, quanquam hoc loco nihil novi, aut aliud quidquam proponat, nisi quod sparsim jam alibi dixerat.

Febronius argumentum Fagnani nequicquam solvit, minus istud refellit. Se ad caput suum 3, § 1, refert; verum de hoc ipso quæritur, utrum suus unus episcopatus in solidum in hoc sensu intelligendus sit?

Fagnanus hìc probat, et nos ibi invicte osten-

dimus, unum et indivisum episcopatum *in solidum* in sensu Febronii falsum, atque erroneum esse : igitur Fagnanus non refutatur, et Febronius adhuc, si possit, seipsum defendere deberet, non asserere, quod modo refellitur.

Dicit, hanc *solidariam*, seu, ut ipse explicat, universalem sollicitudinem in episcopis mansisse *sine præjudicio jurium cuivis episcopo in suo districtu privative* attributorum : sic etiam supra dixerat § 1, divisionem et adscriptionem diœcesium nullam inter apostolos et episcopos *essentialem differentiam* induxisse. Verum ista neutiquam cohærent, et consequentia doctrinæ hìc desideratur.

Num talis limitatio, adscriptio, assignatio particularis districtus, in quo sua jura exerceat episcopus, et alius non exerceat, non *præjudicat* potestati et jurisdictioni universali et hujus et aliorum episcoporum, quam habent in totam ecclesiam? num potuit episcopo privative assignari districtus et terminus jurisdictionis, si ipse divinitus jam acceperit in omnes? num potuit ejus jurisdictio auferri, coarctari, vel limitari in alienam diœcesin, si illam a Christo teneat et in hanc et in omnem? si ex institutione Christi omnes episcopi sunt æquales in potestate et jurisdictione, ita ut hæc se extendat in universam Ecclesiam, quo jure, qua potestate Petrus vel apostoli ausi fuerunt, hanc divinam institutionem statim subvertere, coarctare, limites præ-

scribere, subordinare? vel an non talis coarctatio, limitatio subordinationem manifeste arguit, præsupponitque? an non inter jurisdictionem universalem, illimitatam et independentem, atque inter talem particularem, limitatam et subordinatam essentialis differentia est?

Ait Febronius, hoc confusioni tollendæ necessario factum esse: optime. Sed qualiscunque fuerit id faciendi vel ratio vel necessitas, debuit in Petro vel apostolis præexistere facultas id agendi, de quo modo quæstio est. Dein quis dicet, Christum instituendo potestatem episcopalem, tam improvidum, aut minus sapientem fuisse, ut hanc confusionem, prædicato evangelio, mox futuram non prævideret, vel illam non eo modo instituisse, ut talis confusio non sequeretur? equidem Christus non ipse diœceses divisit, non assignavit apostolis, neque episcopis successoribus: igitur hanc potestatem determinandi et assignandi cuivis episcopo districtus pro exercendo suo officio pastorali et jurisdictione commisit præprimis Petro, ejusque successoribus, quin et apostolis, non tamen horum successoribus episcopis, secus confusio non sublata, sed aucta fuisset.

At hinc sequitur, quod Febronius per suum universalem episcopatum semper effugere nititur, episcopos, quamvis suam potestatem accipiant immediate a Deo, in hujus tamen assignatione et exercitio dependere et subordinari summo et universali pastori Rom. Pontifici.

Dum autem Febronius ait, *jus episcopale* Rom. Pontificis par esse cum jure aliorum episcoporum, *jus primatus* per se non importare facultatem, functiones episcopales in aliena diœcesi exercendi: hæc palam æquivocatione et idearum falsitate laborant. Jus episcopale præcise sumptum, atque abstracto *primatu*, in omnibus episcopis par est. Verum quid aliud est primatus, quam *officium pastorale* cum addito, quod sit primum et universale in omnes, atque in inferiores etiam pastores? hinc a regula communi excipitur, atque per hoc distinguitur ab officio et jure pastorali omnibus episcopis communi. Quare jus pastorale Rom. Pontificis, prout est conjunctum cum primatu, importat facultatem functiones hierarchicas et officium pastorale exercendi in universa Ecclesia, utique non pro libitu, sed ad finem a legislatore Christo, hunc primatum instituente, intentum, nempe pro necessitate, utilitate, servanda unitate, rectoque ordine tenendo. Revera si tale jus et universalis jurisdictio existeret in singulis episcopis, prout fingit Febronius, tunc ruit utique primatus, et tot sunt Papæ, quot sunt episcopi.

Postea gratis fingitur, episcopos *suapte sponte* sua jura in Romanos Pontifices effudisse: id probari debet; nam præsumendum non est, tot episcopos sua jura ignorasse, minus adhuc, si non ignorarunt, ea reliquisse; quippe culpandi et de negligentia postulandi fuissent, si in tan-

tum suo officio defuissent, et quis tum negligentiam horum prælatorum supplere debuit, nisi Rom. Pontifex?

Neque dicas, ex lege charitatis et concordiæ episcopos talia permisisse. Lustrare, visitare alienas provincias, corrigere, emendare, leges dare etc., actus jurisdictionis sunt, qui illi ex officio incumbunt, cui talis jurisdictio competit, alter vero ex lege subordinationis permittere tenetur. Nam ex sola lege charitatis quivis episcopus similes actus alteri coepiscopo in sua diœcesi nec permittere tenetur, nec ille exercere posset, quod genuinæ disciplinæ et praxi repugnat: concedere vero præcedentiam, utique signum honoris est; sed utrum hic honor sit debitus, vel solum ex charitate descendat, de hoc quæritur? tandem si aliqui episcopi restituerunt, utrum jure, bene vel male? Mox inferius exempla docebunt.

Ad 1. Quid hæc contra jura primatus? an ab hac regula Pontifex non excipitur? Num innocentius I et Leo I, etiam contra se ipsos hanc legem tulerunt? si necessitas alicujus Ecclesiæ postulet, num pastor universalis huic Ecclesiæ de clerico etiam alienæ diœcesis providere non poterit? quoties id primis sæculis a Rom. Pontificibus factum fuisse, non constat?

Ad 2. Quo sensu Gregorius M. rejecerit titulum *universalis episcopi*, satis dictum fuit cap. 2, ? § 9 et 11 in not. Hæc Pontificio pri-

matui non obstant. Ast encomia admiror, quæ modo in Gregorium M. uberrime effundit Febronius, qui tamen tom. II, apolog. *flores sparsi* pag. mihi 420, sanctissimum hunc Pontificem de novitate, abundanti zelo, singulari confidentia episcoporum, extensione Pontificiæ potestatis accusat. Vid. cap. 5, § 4, in not. Nec Gerson hìc nobis legem ponat : quando Pontifex sua plenitudine potestatis uti possit aut debeat, jam novimus. Si vis, hoc jus *extraordinarium* esse in Rom. Pontifice, ita ut istud æque sit omnibus episcopis commune, tunc iterum cessat primatus. Gerson solum ostendit, quando et quo casu Pontifex suum jus primatus, quod *semper et ordinarie* ipsi inexistit, exercere debeat? an jus metropoliticum in primate ideo *ordinarium* non est, quia illud non semper et ubivis, sed solum, jubente canone, exercere potest? ad hoc, ut jurisdictio et jus primatus sit ordinarium in Papa, sufficit quod inferiores prælati in usu et exercitio suæ potestatis quodammodo dependeant, et subordinentur primatui Pontificio, quamvis hujus jura non semper actu, sed solum extra ordinem subintrent, exerceanturque.

Ad 3. Concilium Seeligenstadiense perperam hìc adducitur. Nullibi Rom. Pontifici potestas ligandi et solvendi per totam Ecclesiam negatur, sed sub- et obreptitias lapsorum fraudes synodus culpat, dum nempe ut pœnitentiam pro criminibus imponi solitam effugiant, Romam petebant,

et, nulla peracta pœnitentia, ibi absolutionem fraude eliciebant; ideo hanc eis indulgentiam nihil prodesse, ait synodus, quod utique verum erat. Sed quare ab eadem synodo iis, peracta sibi a suis sacerdotibus imposita pœnitentia, cum testimonio et litteris ad Papam ire permittitur, nisi ut dein ibi, si velint, absolutionem percipiant? quod tamen ad proprium episcopum pertinebat. Ergo episcopi hujus synodi sentiebant, quod Rom. Pontifex etiam suos subditos et diœcesanos possit ligare vel solvere : attamen, ne peccatores, sub prætextu Romam eundi, peccatis suis insordescerent, pœnitentiam a suo sacerdote recipere recusarent, vel nulla peracta pœnitentia (quæ utique necessaria erat), absolutionem fraude impetrarent, hoc curare ad proprium episcopum pertinebat, et ideo statuebant, ne tales inconsulto episcopo, nec sine ejusdem litteris Romam pergerent, ut Pontifex de statu pœnitentis certior fieret, et sic indulgentia ei prodesse possit. In hunc finem ait synodus : *prius juxta modum debiti pœnitentiam sibi datam a suis sacerdotibus adimpleant, et tunc Romam ire, si velint, ab episcopo proprio licentiam, et litteras ad apostolicum ex iisdem rebus deferendas accipiant.* Unde hæc Febronio magis obsunt : et si hodie synodus particularis talem conderet canonem, Romana curia nequicquam obsisteret, cum taliter fraudibus, sub-et obreptionibus janua obstruitur. Et quid iterum falsas decretales hodiernis im-

properat? an non tempore hujus synodi, nempe sæculo XI, Isidori decretales ubivis jam obtinuêre, atque in omnes fere episcopos pervaserant? quomodo ergo episcopi hujus synodi, iisdem imbuti decretalibus, contra auctoritatem Papæ aliquid statuere poterant?

Ad 4. Pudere oportuisset Febronium, quando talia affert, quæ suam sententiam manifeste atque magis profligant. Ubinam in concilio Lemovicensi potestas Papæ negatur? quin ea potius asseritur, et solum fraudes, sub- et obreptiones damnantur. Dum ibi querela fuisset proposita, quod Papa excommunicatum injuste absolverit, Benedictus IX, teste Baronio ad annum 1034, ita respondet : *quod nescienter egi, non mea, frater charissime! sed tua est culpa. — — Debueras certe mihi, antequam illa mortua ovis Romam veniret, ejus caussam tuis innotescere apicibus, ut ego eam omnimode abjicerem.* Et infra : *itaque illam pœnitentiam et absolutionem, quam tuo excommunicato ignoranter dederam, et ille fraudulenter accepit, irritam facio et cassam.* Videat hìc aperte deceptionem. Videat etiam, hìc a Papa, quanquam Isidori decretales jam plene invaluerant, non solum probari illam disciplinam concilii Seeligenstadiensis supra citati, ut pœnitentes epistolam sui episcopi deserant, sed etiam culpam in ipsos episcopos rejici, si per litteras Papam de statu lapsi certiorem non faciant. Porro potestas Rom. Pontificis ibidem in omnes quos-

cunque fideles clare asseritur : *Scis enim*, ait Pontifex, *quia quicunque de universa Dei Ecclesia, quæ est in toto orbe terrarum, ad me caussa remedii recurrit, impossibile est mihi ejus curam negligere, dicente Domino ad Beatum specialiter Petrum, Petre, pasce oves meas.*

Omnia hucusque relata epistolæ verba ipse Febronius adducit, contrarium inde persuasurus. Verum an non ambobus oculis cæcutit? Aliud obreptionis exemplum ibi profert de quodam diœcesano episcopi Engolismensis, ubi refertur : *episcopus intelligens fraudem ait homini : — — non credere possum hoc mandatum ab eo* (Papa) *NB. extortum.* Ex his argumentum Febronii ita conficitur: alieni diœcesani absolutio a Papa fraude et obreptione extorta, invalida est, ergo Papa non habet potestatem absolvendi alienum diœcesanum. Quis non rideat? quasi vero absolutio proprii episcopi fraudulenter elicita non esset etiam invalida? et tamen hic certo habet potestatem in suum diœcesanum. Quare Patres concilii Lemovicensis longe aliter, quam Febronius, sentientes, plenam Rom. Pontificis in suos diœcesanos subditos potestatem recognoverunt, dum aiunt : *judicium enim totius Ecclesiæ maxime in apostolica Romana sede constat.* Et ideo declarant, quod si episcopus parochianum suum, pœnitentia prius imposita, ad Papam dirigat, hic eam possit *confirmare*, *levigare*, aut *super adjicere.* Quod si eum etiam ad pœnitentiam recipiendam

ad Papam direxerit, eum posse a Papa remedium sumere; attamen parochianus semper litteras vel testes a suo episcopo accipiat, nec, *inconsulto suo episcopo, ab apostolico pœnitentiam et absolutionem accipiat.* Quod est fraudibus præcavere, non potestatem Papæ negare, sed potius affirmare, uti superiora verba satis manifestant.

Quod Gregorium M. attinet, dico confidenter, etiam hunc in simili caussa et *mordaci invectione* alicujus episcopi sibi reverentiam non minus quam S. Gregorium VII, postulaturum fuisse. Scripsisset sane, quod lib. 13, epist. 37 ad Joann. Panormit. scripsit: *illud admonemus, ut apostolicæ sedis reverentia nullius præsumptione turbetur, tunc enim status membrorum integer manet, si NB. caput fidei nulla pulsat injuria.*

Ad 5. Alia potestas est legati, alia Pontificis; non dicimus, legatum posse in aliena Ecclesia omnes actus hierarchicos exercere, nisi ad hoc et potestatem et speciale mandatum habeat, non ipse tenet jura primatus, sed Pontifex. Interim nobis sufficit, quod de speciali hoc casu in contrarium dicant Thomassinus atque Petrus de Marca a Febronio citati. Idem est de caussa archiepiscopi Salernitani, ubi controversia erat de exemptione monasterii, sub quo solo titulo ibi Papa consecrationem sibi postulabat. Dein nos non dicimus, Papam suam potestatem ubivis pro libitu exercere debere, vel posse. De potestate loqui-

mur, non de usu potestatis et ejus exercitio, quippe potestas genuina atque legitima se exerere non debet sine caussa. Ex supradictis autem jam vidimus, qualis disciplina circa Rom. Pontificis potestatem sæculo XI, episcoporum animis insederit.

Ad 6. Hæc longissime absunt ab illa potestate Pontificis, de qua hìc nobis sermo est, et solum politiam quamdam et cæremonias concernunt, quæ Talonus advocatus adfert, nempe quod nuntius Papæ in Gallia vices gerat Ambassiatoris, quod non habeat archivium proprie dictum et certum territorium suæ nuntiaturæ.

Ad 7. Hisce manifestum est, quem sensum de auctoritate Papæ eo tempore tenuerint Salisburgensis et Rhemensis provinciarum episcopi: fallunt autem, vel falluntur auctores historiæ litterariæ Galliæ, similes titulos et loquendi formulas novas esse. Sixtus I, anno 130, suæ epistolæ præfigit titulum : *Sixtus universalis apostolicæ Ecclesiæ episcopus.* Victor I, *Pontifex Maximus, episcopus episcoporum,* teste Tertulliano, qui ait : *Audio etiam edictum propositum : et quidem peremptorium : Victor Pontifex maximus episcopus episcoporum* (*erat hæc inscriptio decreti*) *dicit etc.* A concilio Chalcedonensi, quin et a subsequentibus Patribus S. Leo I, teste Gregorio M., lib. 8, epist. 30, ad Eulog. Alexandrin. vocatur *universalis Ecclesiæ episcopus.* Monachi Syriæ in suo adversus Severum supplice libello Hormisdam

Papam salutant : *sanctissimo et beatissimo universæ orbis terræ patriarchæ Hormisdæ.* In concilio Constantinop. IV, Græci Rom. Pontifici tribuunt titulum *Summi Pontificis, et universalis papæ.* Taceo plura. Sed ignorare non debuerant auctores histor. litter. Galliæ, quæ jam demonstrant, illos titulos et formulas, quibus Bavariæ et Rhemensis provinciæ episcopi usi sunt, nec novas, nec inusitatas esse, hos illas a majoribus, etiam Græcis, quin et conciliis generalibus accepisse, et quamvis iisdem ex modestia abstinuerint ipsi Rom. præsules, ea tamen satis manifestare, quem sensum de auctoritate Papæ olim tenuerint tum Græci et Latini. Attamen qualiter vox *universalis* intelligi debeat, jam declaravimus cap. 2, § 11, in not.

Ad 8. Quidquid sit de isto concilio *Ansano*, ex eodem contra potestatem et jus primatus, quod Papa habet in universam Ecclesiam, nihil evincitur. Certe Burchardus archiepiscopus Viennensis, qui in diœcesi episcopi Matisconensis, nempe in monasterio Cluniacensi ordinaverat monachos, hanc potestatem agnovit, secus ordinationem non ausus fuisset peragere. Neque alii episcopi, quando S. Odilo abbas se hoc privilegium ab Ecclesia Romana habere ostendit, hanc potestatem negaverunt, sed cum nullibi legerent, tale privilegium concessum, atque rem novam esse censebant, ideo ipsis suspectum de ob- vel subreptione erat, atque decreverunt,

chartam non esse ratam, quæ canonicis non solum non concordaret, sed etiam contrairet sententiis. Scilicet dum tale privilegium multum præjudicabat auctoritati episcoporum, per canones probe firmatæ, credere non poterant, a Papa illud concessum fuisse, quin de eo ipsis etiam notitiam faceret : sed hoc non ad potestatem, sed ad usum Pontificiæ potestatis attinet, atque idipsum est, de quo queritur D. Bernardus lib. 3, de considerat. cap. 4, *murmur loquor, et querimoniam ecclesiarum. Truncari se clamitant et dismembrari. — — Subtrahuntur abbates episcopis, episcopi archiepiscopis, archiepiscopi patriarchis sive primatibus. Bonane species hæc? mirum si excusari queat vel opus. Sic factitando, probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ forte non ita. Facitis hoc, quia potestis, sed utrum et debeatis, quæstio est.* Vides, in his, potestatem non negari, sed opus improbari, potestatem vero omnino affirmari.

Ad 9. Jam supra § 2, dixi, contrariam sententiam et ratione et auctoritate nequaquam destitui, ubi, omissis multis, celeberrimos quosdam nominavi, quos inter Benedictus XIV, qui certe non minus ac Bossuetus *commentum* a *vero* distinguere novit. Si priscis temporibus ea de *mediata* episcoporum jurisdictione non audiebatur, etiam illa de immediata non celebrabatur. Sufficiebat episcopis scire, se vices Christi agere, suam potestatem quomodocunque esse a Deo, interim

se subordinari capiti totius Ecclesiæ, eidemque tanquam centro uniri; hinc aliqui de sua potestate loquebantur, tanquam immediate dimanante a Deo, alii tanquam mediate, uti supra § 1, in not. patet de Siricio P., Innocentio I, Leone I, Optato Milevit. etc. etc. Interim parum refert inter istas duas sententias, modo in usu et exercitio hujus potestatis subordinatio et directio ad illam universalem primatus potestatem, quæ in Petro et ejus successoribus est, admittatur. Hanc dependentiam autem et subordinationempublice in concilio Tridentino profitebantur etiam ii Patres, qui stabant pro immediata jurisdictione episcoporum, uti cap. 1, § 8, in not. ostensum fuit. Quare apud Patres præsentes de mala sequela ex hac sententia timendum non erat, sed apud turbulenta ingenia, ut ait Pallavicinus, qualia præsago animo jam ad nostra usque tempora prævidisse videntur legati, aliique, quando futuri erant, qui, occasione hujus sententiæ, episcopis omnem illimitatam et universalem potestatem attribuerent, Rom. Pontifici, e contra, omnem abnegarent, et caput membris penitus subjicerent.

§ IV.

Omnium beneficiorum collatio originario ac genuino jure ad episcopos pertinet.

Serius et variis modis atque titulis, plerumque in ignorantia veri juris fundatis, beneficiorum provisiones ad Romanam sedem devolutæ sunt.

Equidem inconvenientiis inde natis per varia concordata modus aliquis positus fuit, sed non satis firmus.

In actis apostolorum cap. 6, v. 3, apostoli dicunt : *constituamus super hoc opus septem viros boni testimonii plenos Spiritu S.* Et Paulus Tito cap. 1, mandat, *ut constituat per civitates presbyteros.* His indicatur, jus ministros Ecclesiæ in officiis et beneficiis instituendi pertinere non solum ad Petrum, sed ad omnes apostolos et eorum successores.

Quamdiu beneficia a sacra ordinatione sejuncta non fuêre, prout ante sæculum XI, fuit, omnis beneficiorum collatio ad episcopum pertinebat. Erectis vero beneficiorum titulis, eadem ratio, quæ episcopo tribuit jus *ordinandos* eligendi et ordinandi, etiam suadet *beneficiandorum* optionem eidem primario tribuendam esse. Franciscus Duarenus lib. 3, cap. 1, de sacris minist. ait, Romanum Pontificem priscis temporibus nullum jus et potestatem ordinandorum clericorum in

aliena diœcesi sibi vindicasse. Inde concludit; cum ergo Pontifex secundum *antiquos canones* in alienis ecclesiis neminem ordinare possit, satis perspicuum est, ecclesiastica beneficia totius orbis ab eo conferri non posse. Genuino huic et nativo episcoporum juri grave vulnus inflictum fuit per mandata, exspectativas et reservationes apostolicas, quæ sunt sequioris ævi partus. Clemens P. IV, omnino ausus est asserere, omnium beneficiorum ecclesiasticorum plenariam dispositionem ad Rom. Pontificem pertinere. cap. 2, de præbend. in 6.

1. *Mandatorum* apostolicorum *de providendo* et *exspectativarum* initia ad sæculum XII, communiter referunt canonistæ. Teste Gonzalez, horum in decreto Gratiani nulla fit mentio.

2. Molinæus notat, *præventiones* de vacantibus in *curia* Romana primum usurpatas esse non jure *reservationis*, sed *præventionis*, et hoc plausibiliter toleratum ab ordinariis ad vitandam diuturnam vacationem ecclesiis damnosam, et tum Pontifices non personis, sed ecclesiis providebant, nulla personarum acceptione habita. Dum autem etiam vacantia *in partibus* conferre tentarunt *jure præventionis*, tunc cœperunt vacantia in curia sibi *jure reservationis* præsumere.

3. Gradatim procedebatur. Alexander III, ab abbate S. Remigii pro certo clerico præbendam petens, addit: *rogantes attentius, monentes atque mandantes, quatenus eidem clerico liberaliter pro-*

videatis. Fuêre autem hæc mandata ad beneficia non tam *vacatura*, quam actu *vacantia.*

4. Cum similibus *mandatis* non semper obedirent collatores, quod constat de Roberto Lincolniensi episcopo, additæ sunt *monitoriæ* et *executoriæ*, prout in decretalibus Innocentii III et Honorii III invenitur. Hinc mos invaluit, ut in litteris adjungatur executor, si episcopus beneficium conferre nollet.

5. Mandatis succedebant *reservationes speciales*, his *generales*, utrisque *præventiones.* Facile persuadebatur Pontificibus, si sibi jus esset *mandandi* collatoribus, etiam posse tale beneficium suæ collationi *reservari*, et quia non est ratio reservandi unum magis quam alterum, ideo, quo jure reservabant unum, cogitabant posse reservari duo, tria, quatuor etc.

Auctor dein producit, ut est *in appendice ad Ortuinum Gratium*, legatum Galliæ ad Papam perorantem, qui, gravamina Ecclesiæ Gallicanæ illata recensens, ait, mirari, moveri et turbari Regem, proceres, magnates et omne regnum, devotionem erga Romanam Ecclesiam extinctam, imo in odium et rancorem vehementem conversam esse, inter alia, quod Papa multas præbendas et personatus etiam non vacantes, sed vacaturas conferat, quod prius factum non fuit, nec juri et rationi consonum videatur; Alexandrum III in Gallia profugum, nec hujus antecessores, nec successores usque ad Innocentium III,

aliquod beneficium ibi contulisse; hunc vero, item Honorium III et Gregorium IX, multa contulisse, sed omnes hi non tot, quot solus Innocentius IV, ad quem legatus orationem habuit, ita quidem, ut *si successor*, ait legatus, *in tantum excederet vos in hoc, sicut excessistis prædecessores vestros, certe ipse conferret omnia beneficia, et sic non restabit aliud consilium indigenis nostris, nisi fugere et fugare.* Quod si Pontifices in *Gallia*, eadem in *Germania*, *Angliaque* præstitisse probantur.

6. Hæc principia per istos Pontifices adoptata tendebant ad stabiliendum jus absolutum summi Pontificis disponendi de omnibus beneficiis, quod facile supremæ suæ dignitati adhærere concludebant. Primus hanc consequentiam summe perniciosam deduxit, aut saltem irrefragabilem proposuit Clemens IV.

7. Hoc principio semel stabilito sub Bonifacio VIII, pro jure decernebatur cap. 3, *de præbend.* in 6, Papam, ejusque legatum in collatione beneficiorum posse prævenire ordinarios collatores, et si dubium sit, quis primus contulerit, provisum apostolicum præferendum esse *propter conferentis ampliorem dignitatem.*

8. Gersonius tract. de reform. Eccles. cap. 23 ait, a conciliis generalibus potestatem collatam esse Papæ dispensandi certa beneficia, cætera dispositioni ordinariorum commissa, ut quod patriarchæ et cardinales per Papam institueren-

tur, primates per patriarchas, archiepiscopi per primates, episcopi per archiepiscopos, abbates et reliquæ dignitates per ordinarios. Reservationes Papales vocat malitias, rapinas manifestas, consuetudines ad omne malum inductivas, nec talium capax est Papalis auctoritas, nisi universalis Ecclesia ita disponat.

9. Insignibus his inconvenientiis per concordata a diversis nationibus utcunque modus positus fuit: sed hæ, præcipue Germanica, queruntur, iisdem pactis publicis per Romanos contraveniri, quin Pontifices se eis non teneri asserunt, uti aperte sustinuit Benedictus XIV in brevi ad capitulum Leodiense anno 1741. Hoc dici potest de iis, quæ essentialiter ad jus et officium universalis primatus pertinent, non vero de iis, ad quæ Pontifices, Isidorianis decretalibus innixi, serius suas manus extenderunt, uti sunt provisio beneficiorum, exactio annatarum etc. Etiam in Romana curia Paræmia recepta est. *Papa providet personis, ordinarii autem ecclesiis.*

10. Non defuêre prætextus, quibus odium his reservationibus abstergi volebat, nempe ut ecclesiis provideatur de personis idoneis et aptioribus, ut pauperibus clericis a suis episcopis sine sufficienti titulo ordinatis de honesta sustentatione provideatur. Sed hæc utique ab episcopis facilius fieri possunt, et magis justum est: ideo non mirandum, quod non cessarint querelæ episcoporum et principum adversus has reser-

vationes, hodieque ab omnibus ut odiosæ et malæ reputentur.

11. *Non omnis propterea reservatio Papæ deneganda, servetur modus, tollatur abusus, aurea in omnibus servetur mediocritas. Non autem ex eo reservatio est approbanda,* quod Papa Dominus sit omnium beneficiorum, *quod principium Romanorum falsum est; sed ut servetur vinculum et debita nationum obedientia; parum enim exteræ nationes Pontificem curarent, nisi gratias quasdam ab ipso possent expectare.* Ita Barthelius in annot. ad jus can. lib. 3, tit 5, § 2, quæst. 1.

NOTA.

Si talibus ad firmandas nostras sententias argumentis, qualibus Febronius, uteremur, non cachinnis et sibilis modo, sed et opprobriis, quæ ubertim jactare solet, nos exciperet. Locus actuum apostolorum cap. 6, v. 3, certo et manifeste non de presbyteris, sed de diaconis intelligi potest. Dein, ut sacer textus habet, electio horum ministrorum erat penes multitudinem: *Convocantes autem multitudinem discipulorum, dixerunt. — —Et placuit sermo coram omni multitudine, et elegerunt Stephanum virum plenum fide et Spiritu sancto, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem et Timonem, et Parmenam et Nicolaum. — Hos statuerunt ante conspectum*

apostolorum. In his quid amplius egerunt apostoli, nisi solum quod sic electos ordinabant manuum impositione? *et orantes imposuerunt eis manus*. Tandem tempore apostolorum necdum *tituli*, necdum *beneficia* erant Petrus cum cæteris apostolis et discipulis alebatur ex iis, quæ fideles ad eorum pedes deposuerant, postea collectæ fiebant, e quibus apostoli, alii ministri, discipuli et pauperes sustentabantur. Quid inde pro collatione beneficiorum inferri poterit? quando apostoli ne quidem diaconos eligebant, sed multitudo: quando nondum tituli et beneficia existebant.

Mandat quidem Paulus Tito, *ut constituat per civitates presbyteros*. At imprimis Paulus hos mox vocat episcopos, ut ait Fleurius instit. jur. eccles. part. 1, cap. 10, n. 2. et constat, initio Ecclesiæ, episcopos et presbyteros sæpe confundi. Quod si tamen textus de solis presbyteris intelligatur, certe Paulus vult, ut presbyteros constituat Titus non alio modo, nisi ad exemplum apostolorum, id est, a multitudine electos et præsentatos ordinaret; nam cum a temporibus apostolorum episcopi ab omnibus vicinis episcopis, consentiente clero et populo, eligi debebant, imo etiam diaconos non soli apostoli, sed omnis multitudo eligeret, quis credat, presbyteros, qui in officio et potestate ordinis episcopos fere adæquant, sine electione et nominatione ab episcopis privative assumptos fuisse? quod etiam adhucdum ex ritu ordinationis manifestum est,

ubi archidiaconus ordinandum, veluti *ab Ecclesia postulatum* episcopo adducit, laudatque.

Dein, ut dixi, tunc nondum erant *tituli* et *beneficia*, sed ex solis eleemosinis et oblationibus vivebatur, nec ullibi legitur, apostolos presbyteris certum beneficium tribuisse, unde ex iis textibus pro electione presbyterorum, pro collatione beneficiorum nihil probatur, nisi quod sola ordinatio ad episcopum pertineat. Equidem admitto, successu temporum, ubi tituli ecclesiarum erecti erant, beneficia *ab ordinatione* sejuncta non fuisse, et episcopum per ordinationem etiam beneficium contulisse, sed aio, hoc jus episcoporum ex scriptura non probari, minime vero ex textibus a Febronio allatis.

Quinimo si hi textus quid valent pro jure episcoporum in conferendis beneficiis, dicerem ego, pari modo ex S. Scriptura probari, institutionem et confirmationem episcoporum in omnibus diœcesibus privative ad solum Petrum, ejusque successores, jure divino pertinere, quod Febronius præfacte negat. Sed conferamus textus : ibi dixerunt apostoli de diaconis instituendis : *constituamus super hoc opus septem viros.* Et Paulus dixit Tito : *ut constituat presbyteros.* Ergo infert Febronius, jus conferendi beneficia originario jure ad episcopos, apostolorum successores, pertinet. At act. cap. I, solus *Petrus exurgens in medio Fratrum dixit : viri fratres, oportet impleri Scripturam. — — Oportet ergo*

apostolorum. In his quid amplius egerunt apostoli, nisi solum quod sic electos ordinabant manuum impositione? *et orantes imposuerunt eis manus.* Tandem tempore apostolorum necdum *tituli,* necdum *beneficia* erant Petrus cum cæteris apostolis et discipulis alebatur ex iis, quæ fideles ad eorum pedes deposuerant, postea collectæ fiebant, e quibus apostoli, alii ministri, discipuli et pauperes sustentabantur. Quid inde pro collatione beneficiorum inferri poterit? quando apostoli ne quidem diaconos eligebant, sed multitudo: quando nondum tituli et beneficia existebant.

Mandat quidem Paulus Tito, *ut constituat per civitates presbyteros.* At imprimis Paulus hos mox vocat episcopos, ut ait Fleurius instit. jur. eccles. part. 1, cap. 10, n. 2. et constat, initio Ecclesiæ, episcopos et presbyteros sæpe confundi. Quod si tamen textus de solis presbyteris intelligatur, certe Paulus vult, ut presbyteros constituat Titus non alio modo, nisi ad exemplum apostolorum, id est, a multitudine electos et præsentatos ordinaret; nam cum a temporibus apostolorum episcopi ab omnibus vicinis episcopis, consentiente clero et populo, eligi debebant, imo etiam diaconos non soli apostoli, sed omnis multitudo eligeret, quis credat, presbyteros, qui in officio et potestate ordinis episcopos fere adæquant, sine electione et nominatione ab episcopis privative assumptos fuisse? quod etiam adhucdum ex ritu ordinationis manifestum est,

ubi archidiaconus ordinandum, veluti *ab Ecclesia postulatum* episcopo adducit, laudatque.

Dein, ut dixi, tunc nondum erant *tituli* et *beneficia*, sed ex solis eleemosinis et oblationibus vivebatur, nec ullibi legitur, apostolos presbyteris certum beneficium tribuisse, unde ex iis textibus pro electione presbyterorum, pro collatione beneficiorum nihil probatur, nisi quod sola ordinatio ad episcopum pertineat. Equidem admitto, successu temporum, ubi tituli ecclesiarum erecti erant, beneficia *ab ordinatione* sejuncta non fuisse, et episcopum per ordinationem etiam beneficium contulisse, sed aio, hoc jus episcoporum ex scriptura non probari, minime vero ex textibus a Febronio allatis.

Quinimo si hi textus quid valent pro jure episcoporum in conferendis beneficiis, dicerem ego, pari modo ex S. Scriptura probari, institutionem et confirmationem episcoporum in omnibus diœcesibus privative ad solum Petrum, ejusque successores, jure divino pertinere, quod Febronius præfacte negat. Sed conferamus textus : ibi dixerunt apostoli de diaconis instituendis : *constituamus super hoc opus septem viros.* Et Paulus dixit Tito : *ut constituat presbyteros.* Ergo infert Febronius, jus conferendi beneficia originario jure ad episcopos, apostolorum successores, pertinet. At act. cap. 1, solus *Petrus exurgens in medio Fratrum dixit : viri fratres, oportet impleri Scripturam.* — — *Oportet ergo*

ex his viris — — testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. Ibi prius fiebat electio, et apostoli non per seipsos septem illos viros nominabant : et hìc fiebat electio, *et statuerunt duos*, qui nempe præscriptas a Petro conditiones habebant, *et dederunt sortes*, *et cecidit fors super Matthiam, et annumeratus cum undecim apostolis*, utique non ab alio, quam Petro annumeratus est, qui hanc electionem indixit, eidem præfuit, et conditionem personæ eligendæ præscripsit. Quin, teste S. Chrysostomo, hom. 3 in acta apostolor. Petrus etiam per seipsum sine electione Matthiam in apostolum creare poterat. *Quid igitur?* ait S. Pater, *nonne Petrus ipsemet eligere poterat? poterat quidem, sed hoc non fecit, ne gratiæ deferre aliquid videretur.* Unde ex S. Scriptura probatur, quod Petrus, mediante electione, coram omnibus apostolis novum apostolum constituerit Matthiam, et cum, testante S. Chrysostomo, etiam sine prævia electione per seipsum potuisset constituere, sequitur, jus constituendi episcopos (quamvis ob necessitatem fundandi Ecclesiam illud etiam habuerint reliqui apostoli) tamen principaliter et jure hæreditario, ad successores transmittendo, soli Petro et Rom. Pontificibus competere. Sed mittamus ista : sufficit, temporibus apostolorum beneficia nondum extitisse, omnibus fidelibus, clericis et laicis omnia fuisse communia, etiam diaconos per electionem nominatos et præsentatos fuisse, ideoque ex illis

Scripturæ locis jus episcoporum beneficia conferendi probari haud posse.

Febronius exin in hac caussa Franciscum Duarenum, et Molinæum testes adducit : de Duareno prodit L'advocat, eum cum Calvinistis sensisse, et Carolus Molinæus Rom. Pontificibus infensissimus Calvinista fuit. Num hi contra Pontifices idonei testes sunt? possunt esse, si solummodo veritatem loquantur : attamen de hoc ipso suspecti sunt, et aliunde ostendi debet, quod veritatem dixerint. Quid ergo juvat, tales auctores et testes proferre? Hoc tantum addo, Franciscum Duarenum male concludere. Ex eo enim, quod Papa priscis temporibus sibi non vindicaverit jus et potestatem conferendi beneficia in alienis diœcesibus, concludit, ab illo conferri non posse. Non fecit : ergo non potuit; optima logica! quanquam etiam ideo non fecerit, quia primis temporibus non extiterunt beneficia. Interim viator a Coccaleo Duareno opponit Hieronymum Gonzalez in reg. 8, cancellariæ, qui systematice probat, dignitates ecclesiasticas et beneficia a Petro et ejus successoribus ortum habuisse, et potestatem conferendi beneficia ecclesiastica a Christo non apostolis, sed Petro fuisse collatam. Gonzalez non Italus, sed Hispanus fuit, et auctores, quos citat, ut plurimum Hispani sunt. Non ergo soli Itali et assentatores quidam Germani sunt, qui Rom. Pontifici jus reservandi et conferendi beneficia adscribunt. Num vero hi

omnes vel adulatores sunt, vel decepti? an fors omnibus cucurbita pro capite crevit? necesse est, omnes veteres et probatissimos auctores confundere, ut hodierna placita locum obtineant; sed et in hoc modernorum sciolorum vanitas est arrogantia spiritus.

Sit tamen, omnes alios auctores Febronio non placere, audiamus cardinalem Petrum de Alliaco, qui ipsi displicere non potest, et cujus argumenta ubivis tanquam invicta ipse proponit. Hic in suo opusculo apud Van der Hardt in histor. concil. Trident. tom. VI, pag. 50, sic habet : *Papa jure potuit ordinationes majorum et electivarum dignitatum, ac collationes aliorum beneficiorum sibi et apostolicæ sedi reservare, quia hæc antiquissimo jure sibi competebant. Hæc etiam non solum jure universali administrationis Papalis potuerunt competere, sed etiam ex speciali caussa, ratione materiæ subjectæ, utpote quia inferiores in suis electionibus, et ordinarii collatores in beneficiorum collationibus abutebantur, et per potentiam laicalem sæpe jure suo non libere uti permittebantur, seu aliqua speciali ratione.*

Alliacensis igitur pro reservatione Pontificia duæ rationes sunt, primatus universalis, dein abusus et impotentia collatorum, sed utraque ratio etiam impræsentiarum viget.

Dico itaque et institutionem clericorum et collationem beneficiorum episcopis in suis diœcesibus

jure ordinario et per se competere, *institutionem* quidem sive privative, sive mediante electione, quia ad episcopum pertinet, de dignitate et habilitate ministrorum suæ Ecclesiæ judicare, atque in coadjutores et pastores inferiores assumere; *collationem beneficiorum* vero, quia episcopus est proprie curator et dispensator bonorum ecclesiasticorum in sua diœcesi. Sed ab hac regula non excluditur Rom. Pontifex, sed eædem rationes potiori jure ac principaliter pro eo prævalent, cum ipse non solum sit principalis et universalis pastor, et ideo de omnibus inferioribus pastoribus judicare, indignos et noxios repellere, digniores substituere possit, sed etiam originarie est principalis dispensator bonorum Ecclesiæ.

Rom. Pontifici jus quoddam in omnia bona Ecclesiæ et beneficia competere etiam ex traditione et praxi Ecclesiæ manifestum est, quia nulla unquam circa bona ecclesiarum notabilis et universalis mutatio facta fuit sine auctoritate et indulgentia Rom. Pontificum. Ab initio, ut dixi, omnia bona erant communia, quæ primo ab apostolis, dein, crescente numero fidelium, a diaconis, in hunc finem electis, sub inspectione et loco apostolorum distribuebantur, semper tamen sub præside Petro, qui etiam Ananiam et Saphyram, quod in hoc fraudem committere atque mentiri ausi sint, morte punivit propria sua auctoritate. Inclinante sæculo V, omnia bona ec-

clesiastica in quatuor partes dividi cæperunt auctoritate et jussu Simplicii P. epist. 3, ad Florentinum, Equitium et Severum episcopos apud Labb. tom. IV, concil. pag. 1069. Idipsum decrevit Gelasius I, epist. 9, cap, 27, Gregorius M. lib. 5, epist. 44. Tandem Symmachus P. permisit episcopis potestatem concedendi possessiones Ecclesiæ clericis, quoad viverent epist. 5, ad Cæsarium episcop. Vercellens. cap. 1. Et hæc est origo beneficiorum ecclesiasticorum, ut est apud Baronium ad ann. 502, § 36.

Quamvis vero hæc beneficiorum disciplina primum sæculo IX et X, communior evaserit, hujus tamen ideam jam prioribus sæculis extitisse, erudite ostendit Thomassinus de nov. et vet. discip. part. 3, lib. 2, cap. 16.

Quod vero institutionem presbyterorum in alienis quoque diœcesibus et ecclesiis attinet, legimus in vitis Rom. Pontificum ex actis minime dubiis, quod statim Linus, Cletus, Anacletus, Clemens, aliique succedentes Pontifices fecerint ordinationes, et instituerint per diversa loca non solum episcopos, sed etiam presbyteros, ita ut solus Sylvester pro diversis locis ordinaverit presbyteros quadraginta duos, ex quibus institutio presbyterorum in alienis ecclesiis luce meridiana clarius patescit.

Si igitur traditione et praxi primorum sæculorum constat, Rom. Pontifices a Petro usque presbyteros in variis ecclesiis per diversa loca

instituisse, eos de bonis ecclesiarum disposuisse, modumque dispensandi præscripsisse, quis negabit, iisdem in beneficia, horumque collationem jus ullum competere? equidem jam dixi, collationem beneficiorum jure ordinario episcopis competere, non dico, Papam esse *Dominum* omnium beneficiorum; sed assero, illud jus in episcopis non esse exclusivum respectu Pontificis, hunc excipi a regula : dico cum D. Thoma q. 100, art. 1, *ecclesiæ sunt ejus, ut principalis dispensatoris, non tamen ejus ut Domini et possessoris.* Conformiter ad hanc primævam praxin, et similibus rationibus convictus Thomassinus part. 2, lib. 2, cap. 8, fateri coactus fuit : *ne dubitari quidem potest, quin apostoli et maxime apostolorum princeps summa quadam potestate uterentur, in creandis episcopatibus novis, et in episcopis deligendis. Ubi ab illis creati sunt metropolitani, non suo se illi funditus prisco exuerunt jure, et in ipsos metropolitanos. Iterum, iterumque inculcandum illud est, episcoporum imperium super alios episcopos, apostolorum æque successores, proficisci, ab ejus prærogativæ imitatione et expressione, qua Christus Petrum decoravit, extulitque super alios apostolos.* His non solum egregie firmantur ea, quæ a nobis cap. 4, de reservatione caussarum majorum dicta sunt, sed proportionatim etiam de Pontificia collatione beneficiorum intelligenda sunt : non enim omnino hoc jure se exuerunt Rom. Pontifices, qui pri-

mitus presbyteros variis in locis et ecclesiis instituebant, et bonorum ecclesiasticorum dispensationi summa vigilantia et auctoritate intendebant. Quare recte scripsit D. Amort tom. III, Clement. jur. can. dissertat. 3, proposit. 6. *Si inquiratur origo omnium reservationum Papalium, reperitur eas fundari in exigentia boni communis ob neglectum vel abusum generalem potestatis episcopalis in episcopis suo patriarchatui subjectis.* Probat dein hoc ex historia ecclesiastica, exemplo Siricii Papæ, qui anno 385, in Illyrico reservavit confirmationem episcoporum, Innocentii I, qui anno 404 in Hispania limitávit, et partim reservavit potestatem episcopalem excommunicandi, et anno 415, sibi reservavit absolutionem Attici Constantinopolitani episcopi. Sed hæc ad caussas reservationum pertinent; ipsa reservatio vero jus et potestatem in reservante præsupponit, qualis si in patriarcha, respectu sui patriarchatus, existat, multo magis supremo et universali primati competit, cujus primatus jura patriarchalia solummodo rivuli et participationes sunt.

Jure reservationis circa beneficiorum collationem sic stabilito, non est, quod Febronio ad ulteriora respondeam. Parum refert, qualiter hæ reservationes invaluerint, cujus historiam texit Febronius, item utrum priores Pontifices parce, vel omnino non isto jure usi fuerint. Sufficit, tale jus existere: quod si vero posteriores Pontifices hoc jure sine caussa, vel nimium cum

despectu aut justo gravamine episcoporum et ordinariorum collatorum usi sunt, ad abusus pertinet, qui non approbantur, attamen jure Papæ intacto atque illæso.

Verum, ut antequam etiam de abusu judicium ferat lector, vellem ego, ut genuinam Germaniæ historiam jam a sæculo undecimo præ manibus teneat, ibique inspiciat, qualiter concubinatus et simonia in clero ubivis fere inundaverint, quod integra concilia, quotquot celebrata fuerunt, manifestum faciunt, quin ab ipso tam vitiato clero integra etiam conciliabula coadunata sunt. Videbit quoque, ab eo tempore et usque ad sæculum XVI tantam in clero ignorantiam fuisse, ut publicis in conciliis, præcipue in concil. Coloniens. I, anno 1260, statutum legatur, ut qui in ordines sacros assumuntur, saltem legere et cantare valeant, quæ cleri deformitas et ignorantia, si non caussa, ad minimum occasio fuerunt defectionis a fide, quæ postmodum subsecuta fuit, et quam Febronius cum hodiernis sciolis Rom. Pontificibus malunt adscribere.

Judicet tum æquus lector, an abusus fuerit, vel an non justam caussam habuerint Rom. Pontifices, quin et primatus officium ab iis necessario postulaverit, providendi ecclesiis de idoneis et dignis ministris atque pastoribus. Quisquis dedecus Patriæ contegere amat, non est, cur materiam reservationum Papalium acerbius tractet, minus ad invidiam Rom. Pontificum trahat;

facile enim foret, integrum tractatum de caussis harum reservationum in Germania conscribere. Si tamen in his ex parte Romanorum abusus et excessus fuêre, quod in totum negari non potest, etiam hos, ut superius dixi, non probo, neque defendo. Absit autem, ut Romanos indecoris et invidiosis scriptis eo usque provocemus, ut ipsi ex authenticis legatorum, qui in Germaniam missi sunt, quin et episcoporum aliorumque scriptis ac relationibus, statum ecclesiæ, clerique Germaniæ a novem et ultra sæculis nobis ob oculos ponant.

Sed non solum in Germania, verum etiam in aliis regnis reservationes in immensum multiplicatæ sunt, ut ad Innocentium IV, de Gallia conqueritur orator Gallicus. Esto, sed in Gallia et alibi absque dubio caussæ reservationum extitêre, uti supra defendit clar. Amort : si nimiæ, si excessivæ, si arbitrariæ et sine caussa fuerunt, tunc utique abusus fuit, quod solum probari debet. At modo de jure quærimus, de potestate Rom. Pontificis sermo est : illam probavimus, et quam orator Gallus publice coram Pontifice professus est, dum objectionem nostram sibi ipsi his verbis proponit : *Sed forte dixerit aliquis mihi : isti summi Pontifices* (anteriores) *de quibus mentionem fecistis, potestatem habuerunt conferendi præbendas, et faciendi omnia, quæ nunc fiunt, sed non fecerunt, quia noluerunt* : ad hoc ita se exprimit : *respondeo, Domine, possetis et vos,*

sicut et ipsi potuerunt, dum tamen non faciatis, sicut nec illi fecerunt.

Sic per os legati sui loquitur, atque suum sensum exprimit tota Gallia, potestatem reservationum non negat, agnoscit, asserit, sed ab abusu abhorret, quem sibi deprecatur. Eundem sensum de hac potestate tenuit Germania : quare enim Imperator Fridericus III, ante concordata a Nicolao V, teste Oligenio, petiit, et obtinuit indultum ad centum beneficia conferenda, et post concordata ab eodem Nicolao V et Calixto III, jus primarum precum, si tum in Germania existimatum fuit, Pontifici nullum jus competere disponendi de beneficiis?

Quid jam cum malitiis et rapinis sibi vult Gerson, qui talium reservationum papalem auctoritatem vocat incapacem?

Verum et ad illud respondeam, quod Alexander III, usus fuerit iis terminis : ***rogantes attentius, monentes atque mandantes.*** Vox ***rogantes*** signum modestiæ est, quam Pontifex ostendere voluit erga collatorem ordinarium ob jus huic competens : vox ***mandantes*** signum potestatis fuit, ut ostenderet, se sua auctoritate potiori et principaliori posse beneficium conferre, si collator preces despiceret. De hoc exemplum cape ab Imperatoribus, qui ex jure primarum precum apud ordinarios collatores simul ***precibus*** et ***mandatis*** usi sunt. Rudolphus I, teste Van Espen jur. eccles. part. 2, tit. 25. cap. 9, n. 19, ad

quemdam abbatem hac formula usus est : *cum ex antiqua et approbata consuetudine quælibet Ecclesia —— super unius collatione beneficii, precum nostrarum primarias admittere teneatur, devotionem tuam rogamus etc.* His jus seu mandatum simul per verbum *teneatur*, et preces per verbum *rogamus* junguntur. Dicat nunc Febronius, jus primarum precum Imperatorum abusum esse, preces in mandata conversas fuisse, quamvis secundum concilia generalia Nicænum II, Constantinopolitanum IV, Lateranense I et II, beneficia e manibus principum laicorum recipere prohibitum sit, neque jus illud primarum precum in concordatis comprehensum fuerit : e contra, in Papa jus beneficia conferendi originarium existat.

Tandem ais, per concordata reservationibus Papalibus *modum aliquem* positum fuisse, sed *non satis firmum*. Cessit per concordata in Germania Pontifex a multis reservationibus, quædam remanserunt, et hic est *modus*, qui positus fuit. Num hic modus non sufficiat a tota natione approbatus et publicis pactis firmatus?

At *satis firmus* non est. Quare? quia Rom. Pontifices dicunt, se concordatis non teneri, per ea manus sibi non ligari. Ast advertamus, quo sensu? in ipsis concordatis *circa electiones* hæc clausula reservatoria expresse apponitur : *si canonicæ electiones fuerint, confirmabimus, nisi ex rationabili et evidenti caussa, ac de fratrum*

consilio, de digniori et utiliori persona dixerimus providendum. Et D. Barthel. dissert. prælim. ad concordat. cap. 2, sect. 6, n. 12, ita habet. *Neque ambigo, quin Papa jure possit ordinationes majorum et electivarum dignitatum, ac collationes aliorum beneficiorum sibi et apostolicæ sedi reservare, tum ex potestate supremæ et universalis directionis, tum accedente speciali et publica caussa ratione materiæ subjectæ: puta si inferiores in suis electionibus, et ordinarii collatores in suis collationibus plurimum abuterentur, et per potestatem laicalem sæpe jure suo libere uti non permitterentur, seu alia ex aliqua publica et manifesta ratione. Sed de potestatis usu sermo est, qui non semper unus et idem fuit, in eo quandoque circa materiam politiæ et disciplinæ exterioris abusus irrepere posse et irrepsisse, seu hominum vitio, seu temporum, constat et diffitetur nemo. Tales fuisse non minorum duntaxat sacerdotiorum, sed episcopatuum quoque frequentissimas et generales reservationes, quibus electionum sacrarum libertas vulnerata, et ordinariorum primigenia potestas labefactata erat, totius fere orbis christiani querimoniæ perhibent. Profitentur ipsimet sanctissimi Pontifices præstare sæpissime, prudentiæ regulas consulere, quam propriæ potestatis gradus metiri, nec solum videre, quid summo jure possint, sed etiam quid liceat, quid deceat, quid expediat, atque ita se habere, ac si omnino id non possint, quod sibi*

non liceat, divinumque honorem, bonum publicum Ecclesiæ, animarum salutem supremam legem existimare. Addito dein D. Bernardi monito, ita concludit : *exinde tamen non subsequitur, supposito, quod summi Pontifices in hoc abusi fuerint, vel excesserint, propter hoc ab eis jus omne successive præscriptum tollendum, sed abusus pellendos, excessus restringendos esse, quod fieri potest per rationabiles constitutiones, justas et amabiles concordias.* Hactenus nobilissimus Germaniæ canonista clare Rom. Pontifici jus et potestatem reservandi asserit, quam ad primatum universalem refert : de usu et abusu potestatis duntaxat sermonem esse ait : neque vult, omnem reservationum usum hactenus præscriptum, tollendum esse, sed solum abusum et excessum, idque non per media violenta, et potestati ecclesiasticæ extranea atque præjudiciosa, qualia capite 9 suadet Febronius, sed per concordata, qualia jam existunt, et per constitutiones rationabiles, quales non minus a summis Pontificibus et conciliis in hac caussa emanarunt.

Quid est autem aliud, quod nos hactenus defendimus? jus, potestatem, usum probavimus, abusum, excessum improbavimus, quanquam etiam, quod modo fors excessus foret, olim et sub aliis temporum circumstantiis rectus usus, vel omnino necessitas fuit.

Huc igitur pertinet illud, quod supra cap. 4, § 13, in not. ad querelam, *prætendit cu-*

ria, concordatis se non ligari, ex Barthelio retuli, aliasque jam respondi, ne idem repetere cogar, ex quo lector facile perspiciet, quo sensu ab aliis dicatur, Papam concordatis non ligari, ab aliis vero *ligari*, qualiter nempe uterque sensus intelligi, et invicem combinari debeat, præcipue quando in ipsis concordatis, ut supra ostendi, clausula reservatoria et potestas Pontificis exprimitur : *nisi ex rationabili et evidenti caussa, ac de fratrum consilio, de digniori et utiliori persona duxerimus providendum.*

Idem fere est, quando dicitur, concordata Germaniæ ex benignitate Pontificia proficisci, et non nisi privilegium continere. Talia nempe dici possunt, si *potestas Papæ præcise* spectetur, et *quoad usum*, quando ex justa et evidenti caussa pro bono publico Ecclesiæ necessario providere debet ecclesiis, quia, ut ait idem Barthel. dissert. gener. de concordat. cap. 3, sect. 2, num. 3 et 5, *ex plenitudine potestatis, dominante charitate, et prudentia duce, a summo Pontifice provideri posse, atque hoc sensu ejusdem potestatem, generalem superintendentiam, et imperium supremum, veluti essentiale divinitus concessi primatus reservatum, per concordata inabdicabile, vel potius sub concordatis nunquam comprehensum, coarctatumque fuisse.* Item *quomodocunque paciscatur Pontifex, non potest excludere hanc conditionem : nisi aliud exigat bonum commune Ecclesiæ.*

Sufficiens ergo per concordata omnibus reservationibus *modus* positus fuit : etenim toti nationi Germanicæ tunc paciscenti sufficiens visus fuit, quæ non omnes in totum reservationes tolli volebat. *Firmus* quoque fuit, per pacta publica confirmatus, quem etiam servare velle declararunt sæpe Rom. Pontifices, nisi aliud exigat bonum commune Ecclesiæ, quæ exceptio etiam necessario in concordatis comprehensa fuit, atque ab iis excludi non potuit. Hæc autem est vera ratio, quare non omnis reservatio Papæ deneganda sit, non illa, quam num. 9, ex Barthelio auctor protulit, quasi Papa usum reservationum tantum precario haberet, *ut nationes gratias quasdam ab ipso possent expectare*, per quod *vinculum et debita obedientia* magis *servetur*. Quippe in mox citatis locis Barthelius se emendavit. Ad quid enim potestas, qua nunquam, vel non nisi precario uti licet? his etiam non repugnant, quæ Barthelius in iisdem locis et alibi contra frequentiam reservationum beneficialium profert, et Febronius in sua appendice I, allegat, quia non potestatem, non usum, sed abusum tangunt. Si dein Febronius ad facta provocet, et ideo *modum* per concordata non satis *firmum* existimet, eo quod a Romanis sæpe concordatis contraventum sit, ad hoc jam respondi cap. 6, § 13, et alibi in not.

Si tandem paræmia illa, *Papa providet personis, ordinarius vero ecclesiis*, etiam in curia

recepta est, adhuc quæritur, quo sensu? si Papa providet *pauperibus personis*, seu *clericis*, ut ait Innocentius III, cap. 16, X, *de præbendis* modo idonei et digni sunt, tunc simul etiam providet *ecclesiis*. Quid in hoc mali? utique minus malum, quam si ordinarius ad litteras commendatitias provideat *Ecclesiæ* per personam minus idoneam vel indignam. Quippe tunc Papa providet personæ simul et Ecclesiæ. Benedictus XII, autem *extravagante ad regimen* asserit, se ideo eas reservationes facere, *ut ecclesiis provideatur de idoneis et aptioribus personis*. Ergo illa paræmia in malo sensu intelligi non debet, atque non est verum, quod Papa tantum provideat personis, nunquam vero ecclesiis.

Per hæc igitur omnis querelarum materies in caussa reservationum beneficialium absolvitur, quas sine numero in suis libris spargit Febronius : nempe hæ omnes solum abusus, excessus, frequentiam attingunt, quæ, quamvis fors alio tempore et in aliis circumstantiis, saltem non omnes, tales fuêre, quin potius necessariæ reservationes erant, cessante nihilominus necessitate et utilitate, plane eas moderari oportuit, cum, existente non amplius sufficienti caussa, eæ semper odiosæ sint. Sed potestas reservandi, hujusque rectus usus a solis acatholicis, dein a Febronio, suique similibus, Rom. Pontifici denegatur. Equidem fatemur, episcopos esse genuinos et nativos collatores omnium beneficiorum in-

feriorum, scilicet respectu ordinariorum collatorum; quippe illi proprio jure et ex officio suo beneficia conferunt, hi tantum ex privilegio et consuetudine præscripta. Attamen ab hac regula excipitur Sum. Pontifex, atque jus episcoporum, quantumvis ordinarium in conferendis beneficiis, propterea non excludit jus supremi pastoris, quatenus ad primatum divinum pertinet, qui eadem ratione provisioni ecclesiarum intendere debet, quin et ipse iisdem providere, si justam caussam habeat.

Adhucdum interest, ut in gratiam lectoris alia quoque Febronii argumenta, in reliquis suis libris sparsa, percurram. Sic tom. II, *Flores sparsi.* cap. 7, n. 2. Item *Apologia* art. 12, ea refert, quæ anno 1516, Universitas Parisiensis in sua appellatione, et Franciscus I, Rex, in procemio concordatorum exhibent: item quod Biturigis prælati Galliæ legato apostolico duas præbendas in qualibet Ecclesia cathedrali pro Gregorio IX petenti non consenserint, nisi alii per regna prælati consensum præstarint, unde consequi vult Febronius, reservationes non habere fundamentum, nisi in episcoporum consensu. Verum in his omnibus quid aliud, nisi excessus et abusus perstringuntur, nullibi Pontifici potestas negatur, nisi fors a solo Gersone, quem pariter ibi citat Febronius: attamen neque iste de vera potestate intelligi debet, sed de abusu potestatis, utpote qui tract. de stat. eccles. ait: *Status*

prælationis episcopalis habuit in apostolis et successoribus usum vel exercitium suæ potestatis sub Papa Petro et successoribus ejus, tanquam sub habente, vel habentibus plenitudinem fontalem episcopalis auctoritatis. Unde et quoad talia minores prælati, scilicet curati, subsunt episcopis, a quibus usus suæ potestatis quandoque limitatur, vel arcetur : et sic a Papa fieri posse circa prælatos majores ex certis et rationabilibus caussis, non est ambigendum. —— Status episcopalis quoad acquisitionem isti personæ, et quoad exercitium subest rationabili Papæ voluntati quoad utilitatem Ecclesiæ. Neque his repugnant, quæ idem Gerson inferius tit. de statu prælatorum tradit. Ad hæc Febronius respondet, Gersonem hìc non loqui *ex fonte juris ecclesiastici*, sed *animo quodammodo præoccupato*. Mirissime ! Gerson, qui toti concilio Constantiensi, si adversarios audiamus, sua doctrina præluxit, qui os concilii fuit, ad cujus votum fere omnia concipiebantur, jam modo ignorantia et præoccupatione laborat : e contra, dum Papæ potestatem reservandi denegat, dum eam vocat *figmentum auctoritatis a Christo collatæ, usurpationem, fructum intolerabilis Pompæ, avaritiæ, ambitionis Romanorum, manifestam rapinam jurium episcopalium, consuetudinem ad omne malum inductivam*, Gerson illustratissimus et optimus testis est ? verum nos eodem jure hìc Gersonem de ignorantia et præoccupatione contra Papam et curiam, præcipue ob calamitatem tem-

poris, quo diuturnum schisma omnem ordinem ecclesiasticum perturbavit, omneque malum induxit, accusare possumus, sicque Gerson nec tibi, nec nobis proderit.

Adversarii erat, suum heroëm defendere, non modo accusare, alibi laudare; quippe hæc illum suspectum reddunt. Revera tamen si verba et sensus accuratius inspiciantur, ibi Papæ potestatem circa reservationes et limitationem potestatis episcopalis in suo exercitio cum rationabili caussa clare asserit, hic vero non nisi nimietatem et abusum perstringit.

Tom. III, *Daniel. Berton.* tit. 6, § 2, ex card. Cusano ait, *per tacitum consensum totius Ecclesiæ Romani Pontifices reservationibus factis usi sunt.* Bene : sed has reservationes *factas* exorbitantiam vocat Cusanus, et ideo concludit : *quare puto, Papam amplius non posse NB. generaliter reservare beneficia, nisi expresse ei indulgeretur per concilium.* Quid his, nisi nimietas et exorbitantia accusatur, atque quod Papa non possit *generaliter*, id est, sine discrimine, sine caussa et pro libitu reservare, hancque reservationem *generalem*, quibus usi sunt Pontifices, fundamentum habere in consensu episcoporum? Sed et nos Papæ potestatem reservandi ita asserimus, ut non possit pro libitu jura episcoporum in conferendis beneficiis præripere, quasi annihilare, generaliter et sine caussa reservare, nisi ipsi consentiant.

Tom. IV, dissertat. 7, cap. 2, dum Febronio a Zaccaria opponitur, etiam in veterum Pontificum monumentis collationum, mandatorum, reservationum exempla inveniri. Sic Gregorius M. Paulinum episcopum constituit abbatem in Ecclesia monasterii Messinensis, cujus collator erat episcopus Messinensis, hoc tamen præmonito, *ne, te omisso,* ait Pontifex, *aliquid in tua contristeris diœcesi ordinari.* Idem scripsit ad Maximilianum episcopum Syracusanum, quod Felicem diaconum, ob suam paupertatem, in ejus Ecclesia Syracusana duxerit incardinandum. Epistola ad Leonem episcopum Fananensem vult, ut Joanni cuidam de ejus Ecclesia annis singulis consulatur. Epistola ad episcopos Dalmatiæ, ob sæculares clericorum mores, prohibet, sine suo consensu et permissione quempiam in Salonitana civitate episcopum, nec quemquam aliter, quam ipse dixerat, ordinare.

Ad hæc respondet Febronius, Siciliam, in qua *Messinensis* et *Syracusanus* episcopi erant, eo ævo alium a Rom. Pontifice metropolitam non habuisse, dein in epistola ad episcopum Messanensem tales expressiones inveniri, quæ suum episcopo jus intactum relinquunt, sicuti notat Guassanvillæus. Litteras Gregorii ad episcopum Syracusanum meras *commendatitias* esse, quod patet ex iterato verbo, *hortamur,* et *commendantes etiam personam.* Episcopum Fananensem Rom. Pontifici immediate subjectum esse, neque huic

mandasse, sed *commendasse* Pontificem ex verbis : *quia ergo sanctitati vestræ se summopere petiit commendari, providendum vobis pro vestra mercede est, ut sicut diximus, vestris in omnibus solatiis fulciatur.* Epistolam ad Dalmatiæ episcopos ad collationem et reservationem beneficiorum aut dignitatum non pertinere, quia Gregorius ut canononum custos ibi agit, mandatque ulterius, ut si in *cujuslibet* personam omnium consensus accesserit, eum in episcopum ordinent, Maximo male famato plane excepto, et si quid contra personam Honorati diaconi habeant, de eo prius ad S. sedem referant.

Denique volens Febronius de genuino Gregorii sensu lectorem instruere proponit ejusdem epistolam 13, lib. 2, cum nota Guassanvillæi, qui dicit, Gregorium M. justa quadam et peculiari ratione motum, alienæ Ecclesiæ, fortasse diutius, quam par erat, vacanti et neglectæ presbyterum destinasse, et quidem, ut ait *provide*, cum certus esset, episcopum non repugnaturum, populum non reclamaturum, clericos non iri offensum; dein hanc epistolam inscriptam fuisse episcopo urbis Attelanæ, Romanæ sedis *suffraganeo.* San-Maurianos observare, collationi beneficiorum manum injecisse Rom. Pontificem, ex quo pronuntiatus est ordinarius ordinariorum in concilio Lateranensi cap. 5.

At Febronius non adverterit, se in his responsis nobis vix contradicere, quin magis se ipsum

refutare. Ait, Siciliam eo ævo alium a Rom. Pontifice metropolitam non habuisse, episcopum Fananensem eidem immediate subjectum esse. Quid sequitur? nempe metropolitam in aliena diœcesi beneficia conferre posse : hic ergo, qui jure tantum ecclesiastico suis suffraganeis superior est, id poterit, et R. Pontifex, cui jure divino primatus et cura universalis Ecclesiæ incumbit, id non poterit, cum tamen jus metropoliticum, teste Thomassino, sit solum imitatio et rivulus illius juris primatialis? Jura metropolitica, juxta Febronium, non coarctant, non lædunt, non præcipiunt jura episcoporum : attamen hoc agat jus primatus? vel negat suppositum, hoc ad jus primatus pertinere? at dicat, velim, quo titulo ad jus metropoliticum pertineat, uti modo asserit? utique non alio certe, quam quia metropolita superior est, et ei cura certarum ecclesiarum demandata fuit : sed hoc titulo jure divino gaudet Rom. Pontifex in universa Ecclesia.

Ais, in prima epistola tales expressiones inveniri, quæ episcopo jus suum intactum relinquunt. Sed perperam ista : collator illius monasterii erat episcopus Messinensis; jus igitur episcopi fuit ibi abbatem constituere. Hoc jus exercuit Gregorius solum, præmonito episcopo his verbis : *quam rem venerationi tuæ innotescendam prævidimus, ne, te omisso, aliquid in tua contristeris, diœcesi ordinari*, quibus non aliud significatur,

quam Papam id ordinasse, beneficium contulisse, et de hoc certiorem reddidisse episcopum.

Ais, litteras ad episcopum Syracusanum *meras commendatitias* esse. Sed fallis. Duo objecta continet epistola : 1. Ut Felici diacono provideatur de beneficio pro sustentatione. 2. Ut ejus persona nullis necessitatibus et molestiis subjaceat, *quia* prius *a sacris generalis Ecclesiæ mysteriis, quasi rectæ studio intentionis erraverat.* Primum præstitit ipse Pontifex, *in tua Ecclesia Syracusana eum prævidimus incardinandum*, hoc solummodo in episcopi arbitrio relicto, ut eum etiam officium diaconatus exercere permittat, vel saltem officii commoda et fructus percipiat, de quo etiam hortatur episcopum Papa, ut id *exequatur*, quod ipse ordinavit : *quod hortamur, ut tua fraternitas implere festinet.*

Alterum *commendavit* episcopo, nempe personam diaconi, ne, ob suum errorem, molestiis afficiatur, *commendantes etiam personam ejus, quatenus nullis eum patiaris molestiis aut necessitatibus subjacere. Commendatio* igitur attinet personam diaconi jamjam beneficio provisi, et executio provisionis solum episcopo demandata fuit.

Epistola ad episcopum Fananensem quidem *commendatitia* est : sed non *commendavit tantum* Papa, uti ait Febronius, sed revera etiam beneficium contulit. Ad quid enim, post commendationem, ista verba epistolæ ? *cui etiam ne possit*

post conversionem alicui necessitati succumbere, aliquid de ecclesia illi prævidimus annis singulis consulendum.

Qualiter epistola ad Dalmatiæ episcopos *ad reservationem* beneficiorum et dignitatum pertineat, dubitare non posset, si lectorem non fallere, et quædam supprimere voluisset. An non expressa reservatio est, quando districte præcipit, nullum penitus extra suum consensum et permissionem in episcopum Salonitanum ordinare, quando dein in eadem epistola licentiam concedit, eum ordinandi, in cujus persona voluntarius omnium consensus accesserit, quando nihilominus Maximum, etsi omnium consensu eligeretur, excludit, e contra, Honoratum diaconum excludi non sinit, sed sibi prius referendum esse vult, si quid contra ejus personam habeant? ita enim loquitur Pontifex : *necesse habuimus, hæc ad vos districtiora specialiter scripta transmittere, quibus ex B. Petri principis auctoritate præcipimus, ut nulli penitus extra consensum, permissionemque nostram, quantum ad episcopatus ordinationem pertinet, in Salonitana civitate manus præsumatis imponere, nec quemquam in civitate ipsa aliter, quam diximus, ordinare.* Item ibidem : *sin vero in qualibet persona ita voluntarius omnium consensus accesserit, ut auctore Deo digna sit, et non sit, qui ab ejus ordinatione dissentiat, hanc a vobis in eadem Salonitana Ecclesia ex præsentis epistolæ nos-*

træ concessa licentia volumus consecrari, excepta duntaxat persona Maximi etc. Febronius solum dicit, Gregorium tanquam *canonum custodem* mandasse, ut si in cujuslibet personam omnium consensus accesserit, eum in episcopum ordinet. Sed hoc juxta canones per se facere poterant, nec opus fuisset, ad hoc speciale *mandatum*, minus *licentiam* dare, nisi reservatio præcessisset.

Tandem Guassanvillæi nota ad epistolam 13, lib. 2, nullum pondus adjicit, imo necquidquam valet. Non conjecturas, non auguria, sed rationes et argumenta captamus. *Crediderim*, ait ibi Guassanvillæus, *sanctissimum Pontificem justa quadam et peculiari ratione motum, illi Ecclesiæ fortasse diutius, quam par erat, vacanti et neglectæ presbyterum destinasse.* Ita ipse *credit*, et *fortasse* sic erat, *fortasse* non erat. Nihilominus hanc arbitrarie excogitatam notam Febronius pro genuino Gregorianarum epistolarum sensu intelligendo circa collationem et reservationem beneficiorum tam necessariam esse duxit, ut etiam Zaccariam publice accuset, quod eam silentio premeret. Ex omnibus his patet, adversarios non nisi verba reddere, sed nihil probare, quod aliud non est, nisi lectorem per ambages fallere. Dein ex nota Guassanvillæi adhuc sequitur, Papam *ex justa et peculari ratione* beneficia in aliena diœcesi conferre et reservare posse, quod Febronius negat, nos, e contra, asserimus: reser-

vationem pro libitu, sine caussa non defendimus, nec approbamus. Inter justas caussas etiam paupertatem clericorum esse ex D. Gregorio M. supra ex epistolis ad Syracusanum et Fanensem episcopos discimus, quam tamen Febronius tom. I, cap. 7, § 4, n. 10, *prætextum* vocat, quo his collationibus et reservationibus odium abstergeretur. Nempe tantum Gregorius M. et Febronius sibi contrariantur.

Æque inania sunt, quæ a Febronio adduntur, epistolam hanc episcopo Attelano, Romanæ sedis *suffraganeo*, inscriptam fuisse, et quid in eam obsérvent Mauriani editores : ad hæc ut supra respondeo : num liceat metropolitæ in aliena diœcesi beneficia conferre, et primati totius Ecclesiæ non liceat? dein satis demonstratum fuit, reservationem et collationem beneficiorum ac dignitatum a Rom. Pontifice jam ante concilium Lateranense factas fuisse, harum certa vestigia in veteri Ecclesia inveniri, ad jus primatus pertinere : si tamen in concilio generali Lateranensi Rom. Pontifex pronuntiatus fuit *ordinarius ordinariorum*, qualiter hoc jus ei denegari poterit, aut contra id querelas excitare licet? vel enim in concilio generali episcopi existimarunt, hoc jus ad ejus primatum divinum pertinere (et quidem hoc recte sine omni Isidori fallacia) vel saltem in illud, ejusque usum ipsi consenserunt, quando eum *ordinarium ordinariorum* dixerunt : quidquid sit; saltem extunc jura episcoporum

lædi, et reservationes usurpationes amplius dici non possunt. Certius autem est, jus hoc ad primatum pertinere, caussam vero, et originem, ob quam illud se exerere debuit, fundari, út ait D. Amort, in exigentia boni communis ob neglectum vel abusum potestatis episcopalis. Interim non nego, quasdam Pontificias reservationes vel collationes pro caussa habere consensum episcoporum, nempe ubi alia justa et publica caussa defuit, unde constat, Pontifices quandoque pro reservatione obtinenda consensum prælatorum exquisivisse, quod etiam factum fuit in comitiis episcoporum Gallorum Biturigis habitis, ubi legatus apostolicus pro Papa duas præbendas in qualibet Ecclesia cathedrali petiit, sed non obtinuit, prout ipse memorat Febronius tom. II, etc.

Exin auctor eodem tom. IV, dissert. 7, cap. 2, a num. 5, originem beneficialium reservationum monstrare vult : sed mera conjectura est, *videtur omnino*, ait ipse, *prætensum illud jus Rom. Pontificis originem sumpsisse.* Motus et oppositiones contra Papales beneficiorum reservationes enarrat ex Petro de Marca, quin in exemplum proponit supra memorata comitia prælatorum Biturigibus habita. Sed hæc et similia satis jam præoccupata sunt. Utique res nova erat reservatio duarum præbendarum in qualibet Ecclesia cathedrali, fors etiam sufficiens caussa deerat. Si ergo ibi Papa reservationem introdu-

cere non voluit, nisi consentientibus episcopis et capitulis, tunc locus querelæ non est; sufficiebat enim, eos in reservationem non consentire, prout etiam factum fuit, ad quod legatus Papæ respondit: *super hæc quidquid præcepit* (Pontifex) *tali conditione licet tacita intellexisse, si imperium et alia regna consentirent; adjunxit, se nihil amplius super hac re attentaturum, donec per regna alia prælati consenserint.* Ita ex Matthæo Parisio refert de Marca. Imo si caussa reservandi lateat, quamvis fors justa et gravis non desit (nam ejus, qui rei summam tenet, consilia non semper omnibus propalare prudens œconomia est, et sæpe necessitas suadet) attamen in his ab inferioribus consensum expetere, quid in hoc mali? imo consensum petere, et non consentientibus acquiescere, in superiore utique summa modestia est. Quod si necessitas vel justa caussa providendi ecclesiis palam adsit, quis collationem aut reservationem improbabit? ad curam et officium primatus necessario id pertinet, et si postea cesset necessitas aut justa caussa, tunc talis provisio et reservatio quidem incipit esse gravamen respectu ordinariorum collatorum, sed inde non sequitur, semper fuisse gravamen, et nunquam justam caussam adfuisse. Tempora et circumstantiæ sunt ponderandæ: non omnia omni tempore mala sunt.

Neque rem conficit adversarius, quando amplius in originem collationum et reservationum

indagat. Si primum circa sæculum IX, beneficia erigi cœperunt, non potuerunt prius reservari, antequam existebant, et tum utique voces illæ novæ et insolitæ, ut vocat Michaël Roussel, primitus erant, audiebanturque. Sed num etiam ipsa res, atque jus nova fuerunt, vel solum nomina? Rom. Pontifices per diversa loca in ecclesiis episcopos, presbyteros, diaconos instituisse, novum non erat, sed in vitis primorum Pontificum aperte legimus, utique non ut ibi solum officium peragerent, sed quod consequens erat, ut ab iisdem ecclesiis etiam sustentarentur, quod hodierno nomine præbenda et beneficium vocatur. Si postmodum, erectis beneficiis, Pontifices clericos in ea instituerunt, quid in hac re ipsa, si solum jus spectes, mutatum fuit, quibuscunque dein modis id fieret? Febronius non satis sincere, minus ex arte disserit, jus, motiva, caussas, modum, usum, abusum, excessum, omnia confundit, nempe ut ubivis culpare et vexare possit Rom. Pontifices.

In scenam vocat Michaëlem Roussel *in histor. Pontif. jurisdict.* lib. 2, cap. 11, num. 18. Hic ait, summos Pontifices reservationibus uti cœpisse *in odium ordinariorum, qui, admissis indignis, viros moribus et scientia præstantes procul habebant, unde ab Innocentio III, reprehensi in concilio generali Lateranensi, et suspensi a collationis jure, si eo amplius abutantur*. Cap. 29, *de præbend. Atque ea mandata tunc necessaria erant,*

non ambitiosa, sed in gratiam pauperum clericorum, qui, postquam in stadio litterarum et theologiæ desudassent, merebantur aliquod beneficium, nec tamen eorum recordabantur episcopi, ut nec hodie faciunt nimis addicti familiaribus et ministris suis. Cap. 27, *de rescriptis.* Cap. 13, *de ætat. ordin.* Hæc omnia ex Rousselio profert Febronius. Sed Roussel male vocat *odium*, quod bonum Ecclesiæ exigebat, et necessitas fuit; attamen in Papa agnoscit jus reservandi et conferendi beneficia, idque etiam solo titulo paupertatis et litterarum, quod negat Febronius, ideo Rousselium contra seipsum allegavit : reliqua ipsis episcopis abstergenda relinquo. Ait postea idem Roussel, posteriores *summos Pontifices in culpam venisse, qua ordinarii peccaverunt.* Si hoc verum est, pariter ad abusus pertinet; idcirco tamen jus et rectus usus tam parum Pontifici abnegari potest, quam episcopis, quamvis eodem quandoque abusi sunt. Culpam nihilominus non omnem in Pontifices rejicit Roussel, sed potissimam ipsis regibus Galliæ adscribit : *Nostri tamen Reges*, inquit, *aliquando his reservationibus et exspectativis paruerunt, ac forsitan plurima ipsi caussa, quod per orbem Christianum auctoritatem sumerent.*

Tandem, ut reservationes omnino exterminet, ultimum movet lapidem, atque ipsa concordata Germaniæ sua auctoritate exuere tentat. Nam inter *concordata principum* anno 1446, cœpta,

et Romæ anno 1447, perfecta, atque *concordata Aschaffenburgensia* paulo post secuta distinguit auctor. Priora ait, omnium electorum, principum, atque totius nationis assensu niti, hæc imperium multoties servanda ursisse, his concordatis nondum omnibus nationis gravaminibus satisfactum esse, sed ulterius per conciliorum generalium frequentiam, et aliis modis satisfactum iri, id fateri Breve Eugenii IV, anno 1446, idem loqui gravamina nationis variis temporibus mota, inde consequi, quod intentio Imperii continuo fuerit, et sit, lenimenta gravaminum per illa concordata obtenta firmiter tenere, simul vero pro ulterioribus medelis consequendis, quacunque via et modo adniti.

Concordatum Aschaffenburgense non tanta ait unanimitate et firmitate, sicut priora, gaudere, utpote tantummodo Imperatoris Friderici III et Nuntii Papalis nomine expedita : electores ecclesiastici, qui ad hoc concordatum concurrebant, sciebant, ab ipsis illud aliter admitti non posse, nisi sub spe et conditione assensus aliorum electorum, episcoporum, capitulorum ecclesiarum, quibus non auditis et consentientibus, eorum jura tolli aut minui non poterant, nec tandem dubitare valebant de futuro concilio, in quo reliqua gravamina tollerentur : sed Romani eos deluserunt, quando stipulato tempore concilium celebratum non fuit. Ideo mox ab obitu Nicolai V, variæ reclamationes contra

hoc concordatum leguntur; unde etiam infertur, eos, qui in concordatum Aschaffenburgense consenserant, elapso ad celebrandum concilium decennio, se illo non amplius teneri existimasse. Addit Febronius : quod si collatio beneficiorum et dignitatum ratione primatus ad sedem Romanam spectaret, nunquam huic juri Papa cedere debuisset, et si vis ei illata fuisset, nec valuisset se defendere, potuisset quidem factum tolerare, attamen jus integrum retinere omnibus modis debuisset : verum sapienter, atque ex debito fecisse, quod usurpata restituerit saltem pro parte.

Febronius jam sæpius concordata Germaniæ objecerat : ut plurimum ipsi in materia hac lubrica (ut mihi omnis absit invidia) non ex meo sensu, sed ex Barthelio respondi. Clarissimus hic auctor, universitatis Wirceburgensis cancelarius, et SS. canonum pofessor, nequaquam Isidorianus, neque de partium studio aut adulatione erga summos Pontifices, minus erga curiam Romanam cuipiam, nec etiam Febronio suspectus esse potest; quippe hic non solum integram appendicem ex operibus Barthelii, quæ sibi in rem suam esse videbantur, suo tomo I adnexuit, sed et tom. IV, dissert. 7, cap. 2, n. 1, ad hunc auctorem ovanter provocat his verbis : *optaremus, huc referri posse ex clariss. Barthelii dissert.* 1, *de concordatis Germaniæ integrum caput secundum, quod est de collatione*

beneficiorum. Scripsit autem Barthelius tres omnino dissertationes *de concordatis Germaniæ*, omniaque ejus opera in Germania magno applausu sunt recepta, a quibusdam *nobilissimus Germaniæ canonista* appellatus.

Habeat ergo Barthelium Febronius : sed ego ex Barthelio clare ipsum convincam, quod ea, quæ hìc et alibi circa concordata Germaniæ profert, partim falsa sint, quodque ipse non ad mentem concordatorum, neque totius nationis Germanicæ, sed acatholicorum tantummodo et Protestantium, quorum querelas et machinationes tanquam publica gravamina conglomerat, aperte loquatur, proin concordatorum non defensor, sed hostis reputari debeat.

Imprimis Febronius concordatis Francofurtanis omnem, Aschaffenburgensibus fere nullam auctoritatem adstruit, quod in his *articuli tantummodo Imperatoris Friderici III, et Nuntii papalis nomine expedita sunt : nec comitia imperii, nec collegium electorale, multo minus omnes archiepiscopi, et episcopi, capitula, monasteria Germaniæ ad illud concurrerunt.* Jam ad hæc Barthelium audiamus. Hic dissert. gener. de concord. Germ. cap. 1, sect. 2, n. 1, hanc concordatorum Germaniæ *descriptionem* adornat : *concordata sunt pactio solemnis primitus inter Eugenium IV, et postea, hoc defuncto, inter Nicolaum V, Pontifices Maximos ex una, et Imperatorem Fridericum III, aliosque Germaniæ proceres tum*

ecclesiasticos, tum sæculares ex altera partibus, de dignitatibus, præbendis et annatis ecclesiarum Germaniæ, ad reddendam Ecclesiæ et Imperio Germanico pacem, maxime pro veneratione sedis apostolicæ anno 1446 *Francofurti concepta, et* 1448. *Aschaffenburgi ad Mœnum conclusa, constitutionis canonicæ et sanctionis fundamentalis vim habens.*

Dissert. 3, in præfat. n. 18, ait Barthelius: *Eugenius IV, summus Pontifex aliam querelas componendi, Germaniamque nostram ad communionem, obedientiamque reducendi viam iniit, mittens anno* 1446, *ad Fridericum III, Imperatorem, et status imperii legatum cardinalem Thomam Sarzanensem. —— Ast cum re ad exitum necdum perducta, is ipse Pontifex præcoce fato eriperetur, suffectus eidem sub nomine Nicolai V, legatione antea perfunctus cardinalis Thomas Sarzanensis, —— plenam tandem sacerdotii cum imperio concordiam restituit solennibus concordatis* Francofurti *primum conceptis, postea* Aschaffenburgi *conclusis.*

Ibidem cap. 1, num. 2, ipsa concordata etiam originaliter inspiciens ait, ea sub *duplici forma* prostare, *alia in forma exhibentur sub schemate pacti, quatenus nimirum ea inter Joannem Carvajalem cardinalem legatum de latere missum et inter Fridericum III. Imperatorem, plurimorum S. R. I. electorum, aliorumque ejusdem nationis tam ecclesiasticorum, quam sæcularium principum con-*

sensibus accedentibus conclusa , laudata , acceptata et subscripta fuêre. In alia vero sub stylo bullæ ; nam postquam dicta concordata inter Imperatorem et legatum apostolicum feliciter confecta et edita fuerant , Imperator , nonullique alii status imperii tum ecclesiastici, tum sæculares Nicolao V , summo Pontifici humiliter supplicari fecerunt , ut illis pro firmiori eorum substantia (*verba sunt epistolæ ad Pontificem*) robur apostolicæ firmitatis adjicere , nec non auctoritatem potiorem , et decretum interponere dignaretur , *qui dein eadem specialis bullæ patrocinio communivit.* Interim notum est , et idem D. Barthelius fatetur , usu invaluisse , quod concordata Germaniæ vulgo veniant solum nomine bullæ Nicolai V , quæ incipit : *ad sacram.*

Jam si juxta Barthelium , aliosque , quod et ipsa concordatorum historia commonstrat , concordata Germaniæ *Francofurti anno* 1446 , tantum *concepta* , *et anno* 1448 *Aschaffenburgi conclusa* sunt : si Eugenio IV , per mortem sublato, *res ad exitum necdum perducta* fuit , et Nicolaus V , successor *plenam concordiam restituit solennibus concordatis Francofurti primum conceptis , postea Aschaffenburgi conclusis ;* si concordata in suo *textu originario* aliud non sunt, quam *pacta* inter Joannem Carvajalem cardinalem et legatum apostolicum, atque inter Fridericum III, aliorumque statuum consensu *conclusa* , *subscripta ,* quod utique notorie Aschaffenburgi conti-

git, dein etiam Romæ a Nicolao V, ratificata, confirmata per specialem bullam, ita quidem, ut vulgo tantum sub nomine hujus bullæ veniant : post hæc, dicito mihi, qua fronte sustinere audes, *pacta Francofurtana* omni vi et auctoritate, *Aschaffenburgensia* vero non tanta unanimitate et firmitate niti, cum tamen hæc ultima sint *vera concordata*, illa vero tantum præliminaria, e quibus aliqua, ut ait Barthelius, *mox suum sortita effectum, hodie nullum amplius juris effectum producere possunt?* hinc te nec auctor *concordatorum Germaniæ integrorum*, qui idem sentit, extricare valebit.

Omnibus notum est, quid per concordata Germaniæ intelligatur : istæ diverticulæ et fictiones ad nihil aliud tendunt, quam ut decreta Basileensia ex integro restituantur, per quod ipsa concordata penitus evertuntur; nam si hoc, ad quid amplius concordata valebunt, et de quo concordatum fuit? accedit, quod Eugenius IV, pacta Francofurtana circa decreta Basileensia, quæ ibi a Germanis præcipue urgebantur, atque circa provisiones, reservationes beneficiorum, de quibus modo quæstio versatur, statuebant, non absolute et in perpetuum, sed cum limitatione, et solum *ad interim* approbaverit, permiseritque in suo brevi in hunc finem dato, *permittentes interim et indulgentes, quod omnes et singuli, qui præfata decreta receperunt, illis libere et licite uti possint, donec per legatum*

hujusmodi, ut prædictum, concordatum fuerit, — — vel per concilium aliter fuerit ordinatum. At constat, per legatum successoris Nicolai V, *aliter fuisse concordatum* in hac ipsa materia beneficiali, quam in decretis Basileensibus comprehendebatur, ideoque illud *interim* exspirasse, atque sic illa pacta Francofurtana concordatis præambula, uti ait Barthelius, modo nullum amplius juris effectum habere.

Neque obstat, quod non omnes status, Ecclesiæ et monasteria ad concordata *Aschaffenburgensia* concurrerint. Inanem scrupulum iterum tibi solvet Barthelius dissert. gen. cap. 2, sect. 1, n. 3. *Nec subsistit*, ait, *si dicatur, illa non fuisse communi procerum suffragantium consensu condita et acceptata, eo quod, cum verba proœmii in bulla Nicolai V, — — expresse habeant, quod nonnulli dilecti filii ecclesiastici et sæculares principes inclytæ nationis Germanicæ consenserint, proinde non omnes imperii principes concordatis calculum addiderint. Contrarium quippe elicitur ex ipsa Nicolai V, constitutione, qua aperte asseritur, concordata pro pace et utilitate ac nomine nationis Allemannicæ fuisse inita, approbata, laudata, conclusa et acceptata, quod et declaravit Sixtus P. IV, constit. ad favorem episcopi et cleri Ultrajectensis, anno* 1473, *ut refert Leoninus his verbis : et nobis legitime constito concordata ipsa indifferenter pro tota natione esse inita etc.* Dein explica, quo sensu

verbum *nonnulli* in procemio bullæ Nicolai V, accipiendum sit, nempe *quod non tantum unus vel alter imperii princeps, sed plurimi electores et proceres Imperii consenserint*, quod ostendit ex altero exemplari procemii concordatorum, quod recitat Pfeffingerus, qui habet verbum *plurimorum*. *Licet ergo*, ait ulterius, *non omnes status personaliter suum calculum concordatis addiderint, addidêre saltem virtualiter, vel si mavis, ex imperii hactenus consueta praxi æquivalent ex majoritate votorum, aut consequenter id, quod satis est, ad consensum totius imperii.* Addit, haud opus esse *personali*, sed solummodo *collegiali statuum assensu*, reliquos sane vel expresse vel tacite consensisse, satis constare ex iteratis instantiis, quibus concordatorum constantem observantiam eos ursisse liquet. Hæc igitur satis convellunt ea, quæ Febronius contra auctoritatem et firmitatem concordati Aschaffenburgensis, et quidem contra rei historiam, verumque totius nationis sensum profert.

Non diffiteor, etiam post hæc concordata adhuc iteratas querelas contra eadem, vel horum infractionem motas fuisse, quin et aliquas durasse usque ad tempora Maximiliani I, Imperatoris, ut patet ex decem gravaminibus nationis Germanicæ. Sed utique ipsa querela contra infractionem concordatorum præsupponit, concordata acceptata et in auctoritate fuisse? dein a quibus et in quibus caussis illæ querelæ sunt

motæ? num semper a tota natione et imperio? an semper justæ et cum fundamento fuerunt? an nullum remedium positum? mox post concordata querimonia ad Imperatorem Fridericum III, delata fuit, quod electiones in Germania Romæ contemnerentur, sed absque fundamento; quippe huic querelæ satisfecit Calixtus III, P. anno 1457, respondens, se in his nihil aliud fecisse, quam quod sibi jure divino et humano, atque juxta ipsa concordata competeret, nempe *providendi ecclesiis de persona magis idonea*, atque hoc jure nec uti velle, *nisi ex magna et urgentissima caussa*. Alia querela suborta fuit, et sæpius repetita ob exspectativas seu mandata de providendo : sed exspectativæ in concordatis non comprehenduntur, dein in concilio Tridentino sublatæ sunt. Alia denique sæpe iterata fuit circa annatas et modum has exigendi : sed annatæ in concordatis stipulatæ sunt, et circa modum exigendi ita huic querelæ satisfactum fuit, ut ea juste opponi non possit, de quo inferius.

Interim concordata nihilominus in avisamentis ad decem gravamina nationis Germaniæ adjectis laudantur, ibique dicitur : *sicut regnum Franciæ pragmaticam habet sanctionem, cui in conferendis beneficiis innititur, sic imperium Romanum habet concordata principum, utque ea illæsa conserventur, interest Cæsareæ Majestatis; raro tamen hactenus per summos Pontifices violata sunt, et auditores Rotæ juxta illa hucusque*

feruntur judicasse. Hoc publicum testimonium præponderat omnibus Febronii, aliorumque privatorum quisquiliis. Quin et ipse Maximilianus I, Imperator, cui illa gravamina oblata sunt, in edicto subsecuto concordata hæc approbat, mandatque sub pœna, ut sedulo serventur apud Leodienses anno 1518, Ferdinandus I et Mathias Imperator volunt, ut imperii dicasteria inter alia etiam concordata nationis Germanicæ præ oculis habeant ad controversias decidendas. Pariter Carolus V, anno 1554, mandat, ut Cameracenses servent concordata sub indignationis pœna et mulcta.

Quæstio præcipua moveri potest circa frequentiam conciliorum generalium ob decretum *frequens*, etiam concordatis appromissum, quia in his ea clausula binis articulis adjecta est, observantiam duraturam, donec in futuro concilio generali cum natione aliter concordatum fuerit. At si tanta sunt gravamina contra concordata, si clero Germaniæ tanti interest, ut concilia generalia frequententur, utique ab illo tempore duo saltem celebrata fuêre concilia generalia, Lateranense V et Tridentinum; sed quare in his aliter concordatum non fuit? quare episcopi Germaniæ in minimo semper numero in iis comparuerunt, quod ipsis exprobrat Æneas Sylvius? tempore Tridentini scimus, motus quosdam factos fuisse, et gravamina imperatori exhibita, ad concilium deferenda : res tamen ad mutationem

concordatorum, minus ad nova concordata non pervenit, quod plane signum est, gravamina nec tanta, vel totius nationis et imperii non fuisse, neque hujus mentem fuisse, ut concordata mutarentur.

Qui dicunt, ex observantia decreti *frequens* aliud bonum, nempe reformationem citius sperandam fuisse, his respondeo, prius decreta reformatoria Lateranensia et Tridentina ubivis acceptanda et observanda fore, antequam per nova concilia nova decreta statueruntur. Quid juvant multæ leges, si vel contemnantur, vel non observentur? his viris, qui semper nova concilia postulant, et ut majori fiducia vel temeritate postulare possint, concordata obtendunt non alium in finem, quam ut non reformatio morum, sed deformatio et depressio potestatis Pontificiæ inde extorqueri possit, et decreta Basileensium ex integro restituantur contra mentem et spiritum concordatorum et paciscentis nationis Germanicæ; quippe hic non totius inclytæ nationis sensus est, sed solum hodiernorum scriptorum et pragmaticorum, quorum numerus utique post Febronium nimium invaluit. Sed hos apte perstringit D. Barthelius dissert. 3, de concord. Germ. in præfat. num. 21. *Natio adduci hactenus nunquam potuit, utut a multis intempestivis antiquæ disciplinæ amatoribus et fautoribus*, NB. *forte etiam catholicis, sollicitaretur, ut reservationes Pontificias vel omnino recusaret, vel saltem ad par-*

vum concilii Basileensis modum velut postliminio reductum iret, pro indubitato habens, antiquam equidem disciplinam, si in suo adhuc sit vigore, laudabilissime retineri, conservarique; ast æque tamen irreligiosum esse, eandem — — nullis perpensis circumstantiis, magisque ex partialitatis spiritu, quam prudentis œconomiæ zelo revocare velle. Similia habet ibidem. n. 7, ubi ait, Protestantes sæpe sæpius instigasse principes catholicos, ut, suum sequentes exemplum, a concordatis plane recederent, et saltem favorabile illud decretum concilii Basileensis amplecterentur, sed hactenus non evicisse, ut a fide semel data descisceret natio. Vides, aliam nationis, aliam pragmaticorum, circa concordata mentem et sensum esse. Sed quid? si tandem vincant Protestantes, ut natio a fide semel data modo desciscat? absit ab inclita natione hæc infamia!

Accedit conciliorum congregandorum difficultas, quam jam supra cap. 5, de conciliis in not. et in appendice iterato ostendi. Eandem jam tum præsensit Eugenius IV, quando nationi Germanicæ in conventu Francofurtano inter alios concordatorum articulos præliminares concilium generale petenti in. suo brevi respondit: *nos vestræ petitioni propter multiplices rationabiles caussas, et quia regum et principum aliorum diversa sententia fuit, rationabiliter annuere non potuimus.* Notum est, quot et quantæ remoræ interpositæ fuerint, donec concilium Tridentinum

in generale excreverit, et quamdiu expectandum erat, usquedum episcopi Galli et Belgæ advenerint. Sed et hodie hæc difficultas multum aucta fuit, prout loc. cit. monstravi, atque inde præcipue, quia modo palam etiam a catholicis quibusdam Rom. Pontifici primatus jurisdictionis, quæ tamen catholica sententia atque doctrina est, omnisque fere auctoritas in conciliis generalibus denegatur; hinc profecto Vicarii Christi et Petri successores juste et necessario a conciliis generalibus abhorrere debent, quia vel cogi non possent ad dimittenda sua jura divinitus obtenta, vel non abs gravi caussa timendum est, ne, stantibus hisce principiis, tota Ecclesia in acephaliam et schismata abeat. Vide etiam ob decretum *frequens* adæquatam responsionem inferius § 5, de *annatis* in not. in fine.

Sed ut Febronium cum suis ex Barthelio totaliter convincamus, Protestantium et acatholicorum, qui concordatorum hostes sunt, principia, querimonias contra eadem concordata in medium proponemus, ubi patebit, Febronium cum his in omnibus plane consentire.

D. Barthel dissert. gener. de concord. cap. 3, sect. 1, sic exorditur : *aspera nimis, constantis veritatis, pacis publicæ ac fidei Germanæ tenaci animo haud digna et exaggerata censura ex Protestantibus minus moderati auctores perstringunt concordata Germaniæ, dum illa velut imperatoriæ Majestati derogatoria, injuriosa, extorta, falsa,*

et venenata ratione persuasa, iniquis artibus obtrusa, libertati, existimationi et utilitati imperii Romano-Germanici penitissime contraria, ab imperatore Friderico segniter rem imperii tractante, ut loquitur Lehmannus, — — cum consensu paucorum principum, nimirum non nisi Moguntino, et uno alterove e rasa cohorte annuentibus, ut inquit Nordermannus, confecta, verbo Reipublicæ pestem traducunt, insimul a Rom. Pontificibus toties, imo vix non semper infracta. Prosequitur dein ex Conringio, nihil obstare, quominus Germani in pristinam se vindicent libertatem, id tamen ideo non fieri, quia nemo Cæsarum hoc serio agit, partes Imperii dissident, et quisque sibi studet : Dei vindictam esse ob ingratitudinem iniquorum episcoporum erga bonos Cæsares summos horum benefactores.

Ulterius dein in longum producit historiæ seriem, quam adstruit Conringius, ut ait Barthelius, in multis aculeatam. Jus constituendi magistratus ecclesiasticos, quos inter episcopi eminent, juris majestatici nobilissimam partem esse, et ad illum, cui summa in republica potestas, sive majestatis commissa est, spectare : hoc jus primitus exercuisse Imperatores Romanos et reges Germanorum, Francorumque, dando ecclesiis episcopos, electos confirmando, eadem etiam in sede Romana ordinando usque ad Hildebrandum, Gregorium VII, dictum : qui, et postea ejus successores, sub prætextu simoniæ,

omne jus Imperii in Romanam sedem eversuri, investituras e laicorum manibus damnarunt, ita ut episcopis Germanis ipsos Papæ ausus in perniciem Imperii promoventibus, Henricus V, anno 1121, jus investituræ per baculum et annulum Pontifici Calixto cederet. Aiunt, hoc primum concordatum esse, per quod maximum circa Sacra jus extra Germaniam in Pontificem transiit. Sicut autem cardinales sibi solis electionem Pontificis vindicare ausi sunt, sic in Germania ad solos capitulares canonicos cathedralium ecclesiarum eligendi facultas pervenit, *quem eligendi modum Fridericus III, etiam lata aurea bulla de libertatibus ecclesiarum inscripta tanquam canonicum confirmavit, cum tamen electio illa neutiquam antiquis canonibus conveniat, ac ideo nullo modo canonica dici potest, cum canonici, qui se ipsos sæculares et irregulares solent nominare, proprie loquendo clerici non sint, licet abusive nomen hocce tribui sueverit. Hinc cum necessario ad laicorum ordinem referri debeant, sequitur illos nequidem per recentiores Pontificum canones ad electionem admittendos. Absonum porro esse, quod canonici homines privati, atque haud raro maximis vitiis dediti, interdum etiam stupore insigni laborantes facultate gaudeant, committendi integras principales potestates aliis sui ordinis hominibus, et quidem suo ex arbitrio, nullo prævio impetrato imperatoris assensu, nulla etiam subsequente ejus confirmatione, cum tamen in omni*

bene constituta republica magistratuum creatio in summæ potestatis civilis arbitrio esse debeat.

Imo calculum plus exercere Protestantes, ait Barthelius, quando dicunt, episcopos servos fieri cœpisse Romanæ curiæ ob reservationes et provisiones Papales, ob electionum controversias ad Romanam curiam deductas, ob ligium seu juramentum ab episcopis Pontifici præstitum, ob confirmationes episcoporum a Pontifice petendas, ob formulam, qua se Dei et apostolicæ sedis episcopos fateri coguntur, ob spolia defunctorum episcoporum, ob annatas, Pallium, unde ingentes pecuniarum summæ exigi cœperunt. Tandem ob tædium immanis dominatus episcopi jugum grave excutere nitebantur; hinc concordia in concilio Constantiensi cum Martino V, P., item cum Eugenio IV, ac denique cum Nicolao V, inita fuit : fructu sperato, Germanos papiculorum calliditate delusos esse, per hæc concordata exiguam potestatem in conferendis beneficiis ordinariis collatoribus relictam fuisse, neque has reliquias intactas et illibatas mansisse : oblatis anno 1522. Oratori Pontificio centum gravaminibus, Pontifices quævis grata promittebant, sed fractis Protestantium viribus, Germanos fallaci hactenus spe lactatos inanes dimiserunt, imo ipsos Germanos infractionis reos postulavêre : Pontifices concordata meram gratiam et privilegium continere dicunt, sibi facultatem esse, ea pro arbitrio et solitarie interpretandi, atque vel in

totum, vel in partem tollendi, hinc Germaniam haud immerito *terram obedientiæ* dici, et soli Imperatori auferri per concordata, quod reliquis Regibus licet.

Prosequitur idem Conringius, pro bono Imperii conducere, imo necessarium esse, ut liberetur a Pontificis dominatu, idque nec injustum nec impossibile fore : non injustum, quia Papatus *nullo divino jure* nititur, *sive quoad leges ferendi, sive judicandi, sive episcopos constituendi facultatem; unde in his improbe fictis præscriptione non adjuvatur. Quæ competunt ex conventione, cum ipsi nunquam non violaverint pacta, pergantque in faciendis injuriis, solutum est vinculum, adeoque in Germania haud amplius tenetur stare illis pactis, imo in compensationem infinitarum injuriarum acceptarum æquum est, etiam id, quod fortasse reliquum veri juris, Papis eripere. Non etiam ea est Pontificum potentia, ut per eam haud liceat, improbum Romæ jugum excutere, reapse enim unice nititur inani superstitione, qua ubi animi fuerint purgati, illico sponte evanescit.*

De canonicis cathedralibus ait, quia electio episcoporum ipsis non competit ullo præcepto divino, nil officere usum 400 annorum, dum lex positiva vim habeat summam ex arbitrio potestatum civilium, ideo Imperatorem ac status imposterum posse electiones episcopales aliter instituere : quod si collegium reluctatum fuerit, nihil timendum esse, quia vana est sine viribus

ira, et plus quam satis Cæsari, ordinibusque imperii ad manum esse, quo privatorum aliquot, et imbellium hominum pertinacia frangatur. Tandem prosequitur Barthelius : *plures porro idem* (Conringius) *pergit deducere indignas consecutiones : ergo, inquit, nulla eorum, quæ in corpore juris canonici de episcoporum sive electione, sive confirmatione, sive postulatione, aut uno verbo, de constitutione episcoporum agunt, instituta Germaniam obligant, sed tolli e medio possunt et debent, quandocunque fuerit commodum. Ergo caussæ episcoporum etc. ad forum Romanum hactenus tractæ ab imperii judicibus arbitrandæ. Ergo cum episcopi sint Germaniæ magistratus, nullo modo ferendum, ut constituantur a Papa, quando quis in curia moritur; nefas est, ut penes illum sit jus confirmandi, dandi pallium etc. Ne quid dicam de provisionibus, reservationibus, gratiis exspectativis etc. ergo episcoporum sacramentum pene ligium, quo Papæ adstringuntur, cœpit in præjudicium Protestantium, quos diris devovet Papa; imo cedit in præjudicium totius imperii, si quando Pontifex, ut factum est sæpius, vel anathematis fulmine, vel bello Imperatorem petat; aut Imperatoris sane, aut Rom. Pontificis castra sequenda fuerint episcopis, cujus autem potius secuturi sint, haud certo dixerim; id constat, plerumque contra Imperatorem magno Germaniæ nostræ malo stetisse. Ergo gravissimus morbus, adstipulante Puffendorfio, Germaniæ est, quod magna pars eorum, qui*

cives ejusdem audiunt, superiorem agnoscat, qui extra ipsorum rempublicam est constitutus, credatque tam efflictim deperire eam nationem Pontifices, ut ipsius salute nihil antiquius ducant, meliusque Romæ perspici, quid Germaniæ ex usu sit, quam in ipsa Germania. Ergo beatior indubie fuerit nostra respublica, si, omni illo Pontificis jugo excusso, in eam libertatem se asserat, quam olim habuit. Ergo absurdum est, et ab omni reipublicæ bene compositæ moribus alienum, integras principales potestates, quales habent episcopi in Germania, ab hominibus imbellibus et privatis canonicis, videlicet ex arbitrio aliis sui ordinis committi. Ergo longe est absurdissimum, illas electiones fieri nullo prævio vel accedente Cæsaris impetrato consensu, nulla etiam ejus subsequente confirmatione. Ergo ex re Germaniæ fuerit, non permittere cumulationem episcopatuum, abbatiarum, cum periculosa reipublicæ sit nimia paucorum potentia. Ergo abolenda conjunctio ecclesiasticæ et politicæ potestatis, cum videatur esse impossibile, ut rite faciat officium suum episcopus, qui administratione rerum temporalium est districtus etc.

Hæc omnia ex Barthelio fuse describenda duxi, ut pateat, quinam sint revera concordatorum Germaniæ hostes, ac contra ea ut plurimum sua gravamina extollant, non parcentes falsitatibus, mendaciis, calumniis, opprobriis : dein qualiter Febronius cum iisdem aperte concordet, saltem

in iis, quæ Rom. Pontificem, ejusque potestatem tangunt, et quo tandem alia ejusdem principia tendant. Talia principia equidem in Protestantibus acatholicis, qui in suo religionis systemate nullam aliam Ecclesiæ potestatem et jurisdictionem, nisi eam, quæ magistratuum et civilis est, agnoscunt, utcunque ferenda forent, sed a catholicis scriptoribus ea foveri, abominandum est, palamque fit, quo sensim erronea illa opinio, quo Rom. Pontifici primatus jurisdictionis in Ecclesia denegatur, deducat, cum pari fundamento etiam omnis jurisdictio episcopis abnegari possit, quia utique illa verba Scripturæ, omnibus apostolis dicta, *quæcunque alligaveritis, quæcunque solveritis, pascite, qui in vobis est, gregem etc.* non plus dicunt, neque magis ac clarius jurisdictionem important, quam illa verba Christi soli Petro dicta, *tibi dabo claves, quæcunque solveris, quæcunque ligaveris, pasce oves meas, pasce agnos meos.* Consequenter episcoporum auctoritas, quæ modo in speciem adhuc asseritur, si ista principia ubivis obtineant, facile quoque deturbanda erit, omnis sacra potestas cessabit, Ecclesia potestati profanæ ancillari cogetur; imo nequidem amplius ea Ecclesia erit, quæ divinitus et a Christo constituta fuit. En apertissimam sequelam Febroniani systematis, et hujus consensum cum acatholicorum principiis.

Sed quid ad hæc clarissimus noster Barthelius? hic plane contra Protestantes et Febronium no-

biscum sentit multis in locis, et præcipue opusc. *de jure reformandi antiquo*. Item in discursu academico *regale sacerdotium* intitulato. Hoc vero loco apertissimas falsitates contra religionem catholicam ut refellat, operæ pretium esse non censet, sed fere sola retorsione utitur : sic enim habet :

Prolixum nimis foret, exceptiones, quæ sive in facto, sive in jure contra hactenus allegata opponi possunt, hoc loco congerere, quarum potiores ex contextu hujus et præliminaris dissertationis colligere licet, reliquæ vero alibi partim deductæ sunt, partim adhuc deducentur; sanæ hæc omnia, si quis pari uti vellet irreverentia in imperii fœdera, eg. Pacem religiosam et Westphalicam, facile in Protestantes retorqueri possent; et si hoc modo catholici argute discurrere ducerent, æque indulta in imperio Protestantibus jura subrui possent, pactaque publica nullo negotio dissolvi. Si quis enim diceret cum politicis, præcipue exteris, beatiorem fore rempublicam nostram, si vel extirpato protestantico nomine, vel saltem suppresso, libertas pristina et avitæ fidei unitas per turbulentam Lutheri et Calvini doctrinam misere scissa hac ex parte vindicaretur, et abolita illa pace male religiosa, cujus voragine tot bona ecclesiastica absorpta, et jurisdictionis ecclesiasticæ suspensio extorta, invito et contradicente Pontifice, in statum pristinum denuo restitueretur Germania. Si quis assereret cum auctoribus Gallis, dicendo. 1.

Quod morbus reipublicæ gravissimus sit animorum divisio per varios errores, qui veluti totidem elementa sibi continuo obluctantur, quod nullum validius sit servandæ reipublicæ adminiculum, quam si, sublata Autonomiæ discordia, subditi ad unam fidem exemplo Galliæ suaviter compellantur. Si quis conveniret cum scriptoribus Italis, dicendo. 2. *Quod majestati imperii sit indignum, tolerare impune ejusmodi refractarios, qui contra Wormatiensia imperii statuta publice protestantes ad arma et fœdera adversus majestatem imperatoriam etiam cum externis inita convolarunt, totamque afflixerunt, et sub reformationis prætextu, deformarunt Germaniam, ut testatur bellum et fœdus Schmalcaldicum, bellum Mauritanum, Coloniense et Argentoratense etc. Si quis ratiocinetur cum iisdem, dicendo.* 3. *Quod sit imperio summe periculosum, Lutheri et Calvini severos sectatores in sinu fovere et alere, et pro argumento adduceret tricennale bellum, quo veluti classico a Protestantibus in ipsum imperium sollicitata Turcia, excitata Gallia, armata Suecia, iis patriæ ubique pressæ angustiis, cladibus ac ruinis, ut non nisi Westphalicis tabulis, puta ecclesiasticis spoliis ac imperii direptionibus et detrimentis irreparabilibus sedari potuerit potestas. Si quis ista urgeret,* 4. *cum aliis dicendo, ejusmodi diversarum religionum NB. tolerantia catholicis imperii statibus non consultum esse, præprimis ecclesiastico ordini, quem auctoritate, fortunisque exuere,*

dicteriis proscindere, populi odia, principum arma in eos concitare, privilegiis avitis spoliare, sæculari foro subjicere, religionem in imperio avitam et antiquam veluti Idololatriam traducere etc. voti et moris est. Si quis ista concluderet, et diceret, 5, *quod nec imperatori Augusto, nec antiquo imperii hierarchico systemati satis cautum sit ex principiis et conatibus non paucorum publicistarum in id hodie præcipue intentis, ut hierarchiæ ecclesiasticæ ædificium subruant, imperii ordines ecclesiasticos viles faciant, avitis privilegiis, præeminentiis et juribus deturbent, cum sæcularibus statibus committant, ipsi Cæsari, quod ex jurium papalium translatione una manui ei largiri simulant, altera reapse auferant, majestatem capitis improprie talem, verbalem et cæremonialem, et velut pro simulacro statuant; imperium sensim ad statum oligarchicum et irregularem, vel ut exteri loquuntur cum Puffendorfio, ad monstrosum redigant, atque ut tandem ad fatale inter sacerdotium et imperium dissidium redintegrandum, nec non ad membra cum capite in Ecclesia et imperio periculose et perniciose collidenda, et ad turbas intestinas ciendas, subdola arte sollicitent, provocentque.*

Addit postea Barthelius, concordata rationabilia et utilia esse, ex facto probari, quod toties lege publica munita sint, ideoque probanda et servanda esse, minime attento, quid cogitari, vel fortasse melius fieri potuerit, ubivis in omnibus

aulis, curiis et magistratibus abusus esse et vitia, etiam apud Protestantes circa jurisdictionem ecclesiasticam, beneficiorum collationes, reservationes, neque iis ideo carere, quia ea omnia apud ipsos nunc a potestate et foro sæculari prodeunt. Ad æmulationem semper opponi praxin Galliæ, sed neque hìc omnia nitida, ac ab abusibus munda esse, id testari Gallorum querelas ad Innocentium XI, in litteris anno 1679, ad Ludovicum IV, datis apud Eugenium Lombardum *de regal. sacerdot.* fol. 23, ubi ait Pontifex : *plurimorum litteris et sermone nos pro comperto habemus, omnia deteriore indies loco esse, et prætextu regaliæ hujusmodi beneficiorum collationes, et canonicas institutiones impediri, episcoporum auctoritatem pessumdari, ecclesiasticam disciplinam, ordinemque turbari, novam denique praxin veteri Ecclesiæ praxi et divinæ institutioni contrariam invehi a sæculari potestate, neque ea clam aut timide fieri reperimus, sed aperte et manu regia.* Et tamen Gallia concordata habebat.

Denique concludit Barthelius, non defuisse Rom. Pontifices ad tollendas querelas, etiam post concordata enatas, in hunc finem mandata de providendo et gratias exspectativas in concilio Tridentino consensu summi Pontificis sublatas fuisse, in beneficiis adhuc reservatis eos hunc tenere modum, ut nullum conferre velint, nisi *in forma digno*, vi cujus impetrans suo ordinario probare

debet, se ejusmodi beneficio non indignum esse, nec nisi ex prævio ejusdem ordinarii super idoneitate testimonio provisio *in forma gratiosa* decerni et impertiri solet. Extare speciales constitutiones, quibus excessus in exigendis pecuniis pro expeditione litterarum apostolicarum officialibus sub gravissimis pœnis prohibentur, quod etiam cautum fuit in regula cancellariæ 67.

Superest, ut silentio non prætereatur id, quod Febronius cit. tom. IV, adhuc addit : *si vis* (Papæ) *fuisset illata*, nempe per concordata, *nec valuisset se adversus eam ullo facto defendere, potuisset quidem factum tolerare, attamen jus integrum retinere modis omnibus debuisset*. Revera ita factum fuit : jus retinuit, factum toleravit Pontifex ; D. Barthel. enim expresse ait, hìc non quæri de jure summi Pontificis respective ad concordata circa collationem beneficiorum, sed de usu et exercitio hujus juris, atque illud, non jus per concordata ligatum fuisse.

Interim Febronius per illa verba videtur quodammodo fateri, aut saltem non negare, Pontifici vim illatam, atque concordata extorta fuisse, quin etiam nec alii Germani scriptores tacent minas, quæ Eugenio IV intentatæ fuerunt. Itali autem scriptores ex hoc facto non abs fundamento animadversiones et sequelas deducunt, quæ Febronio nequaquam placere possunt. Cardinalis Turrecremata lib. 2, cap. 10, de bulla adhæsionis ad concilium Basileense ita habet :

ut fertur, Andreas Venetus Dominii Venetorum tunc orator, et aliqui domini cardinales tunc apud Eugenium præsentes, timentes futurum magnum scandalum in Ecclesia, minati sunt præfato Domino Eugenio, quod nisi bullas illas Adhæsionis conderet, ipsum solum recedentes relinquerent. Unde præfato Domino in lecto decumbente, præfati Domini referuntur, bullas illas taliter, qualiter expedivisse, et misisse Basileam. Item Turrecremata dubitat, an hæ bullæ genuinæ sint; siquidem tunc temporis Papa ærumnis, morboque confectus forte nec vidit, quæ sub nomine ejus emanarunt, cum etiam prolixiores aliæ sess. 16, recitatæ ad universos fideles in sui defensionem inscriptæ, Eugenio suppositæ fuerunt, teste Spondano ad ann. 1433, num. 23 et 24. Pariter principes Germaniæ neutralitatem amplexi, Eugenio in ultima infirmitate decumbenti minitati sunt, se ejus depositioni a Basileensibus factæ adhærere velle, nisi horum decreta approbaret.

Dicunt igitur illi scriptores : si consideretur, schisma in concilio Basileensi jam fuisse conflatum, eos ipsos, qui Eugenii partes sequebantur, defectionem minitari, etiam Germaniæ principes prius neutralitatem amplexos jamjam ei obedientiam negare, et pariter defectionem minitatos fuisse, nisi articulos a se propositos approbaret, dein hæc omnia Eugenio graviter decumbenti proposita fuisse : his, inquiunt, con-

sideratis, quis non videt, tales minas ad incutiendum gravissimum metum, atque terrendum, concutiendumque virum constantem peraptissimas, multo magis hominem senem, gravi morbo oppressum, imbellemque factum; consequenter actus subsequentes, tam violenter extortos irritos esse juxta regulam S. Athanasii epist. ad solit. vit. agent. *Non est censenda ejus sententia, quam minæ et terrores extorserunt, sed ea quam protulit, cum liberos haberet affectus.* Nec refert : quod postea Nicolaus V, liberrime in concordata consenserit : quippe priora idcirco haud minus sunt metu et violenter ab Eugenio extorta, quamvis ea etiam alleget Nicolaus, atque ipse etiam Nicolaus in hac caussa antea Eugenii in Germania legatus, horum quoque articulorum primarius paciscens, Germanorum duritiem jamjam expertus, postea non potuit non consentire, quippe similia sibi, quæ Eugenius, timere debuit.

Hæc non mea sunt, sed aliorum scriptorum, præcipue Italorum, neque ipsi, ut jam dixi, Germani illas minas diffitentur. Sed inde saltem hoc conficitur, Romanos Pontifices ab adversariis falso accusari, quod Germanos per concordata deluserint, eaque ab his extorserint; nam si revera concordata extorta essent, certe non a Germanis per Pontificem, sed potius a Pontifice per Germanos extorta fuisse, dicendum foret.

§ V.

Indagatur in originem Annatarum.
Earundem illegalitas, tam quoad substantiam, quam in modo, ostenditur.

Romani collationibus, provisionibus et confirmationibus beneficiorum sibi attributis, etiam cogitare cœperunt de fructibus beneficiorum acquirendis, sic ut tandem unius anni reditus, aut certa pro eis pecuniæ summa ipsis solveretur, neque ante solutionem bullæ ex cancellaria extradebantur. Diu disputatum fuit, et adhuc quæritur, an et qualiter hæ annatæ *a vitio simoniæ* excusari valeant? Saltem eas novum onus esse, infirmo nixum fundamento, juri genuino et divino contrarium, certum est. Ante bonorum divisionem et erectionem beneficiorum, episcopi erant pleni administratores rerum temporalium suarum diœcesium, et dum, mortuo beneficiato, beneficium iterum coalescebat cum suo episcopatu, tanquam cum suo stipite, illiusque fructus veluti quidam rivuli ab Ecclesia matrice dimanantes ad suum fontem refluebant, ideo in sua potestate esse credebant, vacantium ecclesiarum fructus pro necessitatibus sibi reservare. Sed postquam in concilio Lateranensi III et IV, episcopis semestre pro conferendis beneficiis præfixum, atque inhibitum fuit, ecclesias novis exactionibus onerare; cœperunt hi pristinum jus

suum munire aut resuscitare rescriptis Pontificiis, ita ut annatas ex vacantibus beneficiis percipere possent, uti patet cap. 32, X, de verb. signif. cap. 10, de rescript. in 6, et apud Matthæum Parisium ad ann. 1246. Verum hæ rationes applicari non poterant ad Ecclesiam Romanam, et tamen jam tum queritur Durandus episcopus Mimatensis, magnas pecuniarum summas ex vacantibus beneficiis Romam delatas fuisse. Thomassinus quidem contendit, hìc nondum agi de annatis proprie dictis : sed negari vix potest, in his exactionibus verarum annatarum occasionem et originem quærendam esse.

1. Annatarum originem alii tribuunt Joanni XXII, alii Bonifacio IX. Franciscus Berthier Jesuita Clementi V, qui a sollicitationibus episcoporum Angliæ, annatas beneficiorum suæ diœcesis pro se frequenter petentium, occasionem nactus, tandem anno 1305, cogitavit et dixit : *potest sibi superior appropriare commodum, quod postulat inferior.* Sic sibimet annatas addixit, cujus dein exemplum alii secuti sunt. Plura et egregia congessit Pfeffingerus in vitriar. Quidquid sit de origine, illud certum, quod forma, quæ in illarum exactione et solutione hodie servatur, primum a Bonifacio IX inducta sit.

2. Quod favore annatarum hactenus plausibilius productum fuit, et proferri valet, nempe Papæ subveniendum esse ab inferioribus ecclesiis, ad id respondit in concilio Constantiensi natio

Gallica art. 17, quod quilibet episcopatus et episcopi habeant reditus pro dotatione et sustentatione sua, quæ suffecêre, et sufficere possunt cum industria, et alia, quæ ordinarie superveniunt. Si non sufficiant reditus episcopi Romani, primum debet subsidium requirere a clero suæ civitatis et diœcesis, deinde suæ provinciæ, per modum subsidii charitativi temporalis, non perpetui census : postmodum ab aliis ecclesiis immediate subditis potest subsidium benigne implorare, caussa necessaria supposita, expressaque et vera, honeste non possunt denegare ad tempus. Alia non minus solida ratione annatis se opponebat natio Hungarica apud Franciscum Kollarium, qui ait, si annatæ exigantur ratione confirmationis, electionis prælatorum, id laborare vitio simoniæ : si titulo subsidii isto omnium maxime egere Hungaros contra frequentes Saracenorum incursus, rogandum esse Pontificem, ut remittat nova illa subsidia veteribus annatis addita.

3. Ad objectionem petitam a praxi inferiorum prælatorum, exigentium temporalia ab admittendis ad possessionem, beneficiorum, vel statum regularem, respondet Gerson tract. de simonia, nempe multa mala fieri, non sequendam esse multitudinem ad faciendum malum.

4. Etiam illa objectio petita a consensu eorum, quibus in Romana curia providetur, a Gallis in concilio Constantiensi responsum tulit : scilicet, semper intervenit coactio, quia litteræ Romæ

non expediuntur, nisi soluta taxa, ideo in provisis cessat libertas solvendi, tollitur consensus, et impeditur omnis præscriptio.

5. Concilium Basileense annatas prohibuit, ea tamen lege, ut *congruum* aliunde subsidium Rom. Pontifici subministraretur. Si omnia ad normam et statum sacrorum canonum redirent, non indigeret curia tot officialibus, proin facilius his subsidiis carere posset ac deberet. Georgius Vicelius in Elencho abusum ait : *dispiciatur, num expediat christianismo tantam alere curiam, cujus pars maxima ad nihil vacat aliud, nisi ut emulgeat episcopatus, exsugat abbatias, deglubat prælaturas, expilet citatos, excoriet damnatos. — — Breviter aurum et argentum, quod Petro non erat, emungat ab omni natione, et hoc ad delicias sæculi abutatur. Hæccine apostolica? hæccine boni exempli?*

Per annos mille ducentos et amplius dignitas Papalis honeste sine annatis retenta est : his igitur opus non erit, ut porro sustineatur. Urbanus II et alii Pontifices expeditionum in terram Sanctam auctores non imposuerunt annatas.

Dum nuntii Eugenii Papæ querebantur in concilio Basileensi de decreto abrogationis annatarum, dicentes, oportere sedem apostolicam abundare et potentem esse, ut liberalis esse possit exemplo illorum Pontificum, qui SS. Athanasio, Chrysostomo, Thomæ Cantuariensi, de sedibus propriis pulsis opem et subsidia contu-

lerunt, et Gregorii M., qui usque in Jerusalem indigentibus vitæ necessaria subministrabat: respondit cardinalis Julianus, quod his omnibus non de annatis subventum fuerit, neque hæc vocabula tum audiebantur.

6. Annatæ in concordatis Galliæ non habent solidum fundamentum, hinc legatis Henrici II ad concilium Tridentinum mandatum fuit, Patribus insinuare, Papæ in regno Francorum ad illas nullum jus esse, quod anno 1579, Parlamentum Parisiense ad Henricum III, observavit. P. Berthier refert, annatas ex universo regno Galliæ annuatim non importare, ultra ducenta millia librarum, et ideo ob hanc summam non adeo excessivam, et alias rationes tolerari a regibus. Juxta alias fideliores fors relationes titulo annatarum, dispensationum, et aliarum Romanarum exactionum, annue saltem quingenta millia librarum e Gallia Romam deportantur, quod a tempore Francisci I, intra 250 annos secundum modernum monetæ valorem conficit ducentos quinquaginta milliones librarum. Adde nationis Gallicæ in concilio Constantiensi publicam declarationem de annatis non solvendis apud Herman. Von der Hardt.

7. Teste Victorio Siri, Michaël episcopus Lamecensis Joannis IV, Lusitaniæ regis ad Urbanum VIII, legatus demonstrat, ex solo Lusitaniæ regno ob diplomata et alias caussas, quingenta scutatorum millia quotannis Romam deportari.

8. Sed nec Germanis magis parcitur. Martinus Meyer cancellarius Moguntinus epistola ad Æneam Sylvium ait, ' mille modos excogitari, quibus Romana sedes aurum a Germanis tanquam Barbaris extrahat, ut natio quondam inclyta, ad inopiam nunc redacta, ancilla et tributaria facta sit. Legatus Moguntinus in publico conventu imperii retulit, a Trevirensi 30 ducatorum millia peti pro Pallio, pari modo Moguntinum vexari, in Italia archi-episcopatus esse, qui pro Pallio non solvunt ultra centum coronatos. Legatus Cæsareus subridebat dicens : scribendum Papæ, se, nisi Pallii taxam remittat, Lutheri sectam amplexuros. Legatus Moguntinus reposuit, jocum hunc male verti posse, cæteroquin efficacissimum id fore remedium, ad insinuandam Romanis moderationem.

9. Cum in exactione annatarum toties excederent Romani, multum conquesti, et de iis abrogandis apud Cæsarem egerunt ordines imperii in diæta Confluentina anno 1479, item apud Maximilianum II, anno 1510, ac in responsione Cheregato nuntio apostolico data in comitiis anno 1523. Adde litt. Caroli V, Imp. ad Adrianum VI, PP.

10. Natalis Alexander quidem annatas *titulo subsidii charitativi*, in quod principes vel nationes partim tacite, partim expresse consentiunt, a vitio simoniæ et injustitiæ liberat; nihilominus histor. eccles. tom. VIII, pag. 581 docet, eas revocandas

non esse, *quamdiu concordata fideliter serventur*. Hac reservatione *in thesi* nihil æquum magis est ac naturale. Sed hæc conditio non servatur, futurum concilium, ut de annatis et alternativa mensium aliter ordinetur, adhuc expectatur. Et quid de illis, qui ejus convocationem studio declinant.

11. Duo episcopi in Francia a Rege nominati, a biennio non residebant in suis diœcesibus, nempe ut interim expensas bullarum Romanarum ex suorum episcopatuum fructibus recuperent. Nec dubitat Febronius alios idem fecisse, ne primo ingressu debitis obruti deinceps perpetuo egeant. Gayot de Pitaval *dans les Causes célèbres*, t. XII, ait, cancellarium Duprat fuisse, qui Leoni X et Francisco I, concordatum suasit, vi cujus omnes episcopi et abbates in antecessum tenentur solvere fructus primi anni, et usque ad solutionem sunt exclusi ab administratione monasteriorum et episcopatuum. Sed fors nimium imponitur cancellario Duprat. Abrogatis in concilio Basileensi et pragmatica sanctione annatis, concordatum Gallicum eas expresse non restituit, sed solum ordinat, ut in omnibus provisionibus beneficiorum Roma obtinendis illorum *verus annuus valor secundum communem æstimationem exprimatur; alioquin gratiæ ipsæ sunt ipso jure nullæ*. Hinc Itali concludunt, regulam 55 cancellariæ, consequenter et ipsas annatas approbatas esse. Galli e contra sustinent, annatas unice solvi, quia Rex

non expediuntur, nisi soluta taxa, ideo in provisis cessat libertas solvendi, tollitur consensus, et impeditur omnis præscriptio.

5. Concilium Basileense annatas prohibuit, ea tamen lege, ut *congruum* aliunde subsidium Rom. Pontifici subministraretur. Si omnia ad normam et statum sacrorum canonum redirent, non indigeret curia tot officialibus, proin facilius his subsidiis carere posset ac deberet. Georgius Vicelius in Elencho abusum ait : *dispiciatur, num expediat christianismo tantam alere curiam, cujus pars maxima ad nihil vacat aliud, nisi ut emulgeat episcopatus, exsugat abbatias, deglubat prælaturas, expilet citatos, excoriet damnatos. — — Breviter aurum et argentum, quod Petro non erat, emungat ab omni natione, et hoc ad delicias sæculi abutatur. Hæccine apostolica? hæccine boni exempli?*

Per annos mille ducentos et amplius dignitas Papalis honeste sine annatis retenta est : his igitur opus non erit, ut porro sustineatur. Urbanus II et alii Pontifices expeditionum in terram Sanctam auctores non imposuerunt annatas.

Dum nuntii Eugenii Papæ querebantur in concilio Basileensi de decreto abrogationis annatarum, dicentes, oportere sedem apostolicam abundare et potentem esse, ut liberalis esse possit exemplo illorum Pontificum, qui SS. Athanasio, Chrysostomo, Thomæ Cantuariensi, de sedibus propriis pulsis opem et subsidia contu-

lerunt, et Gregorii M., qui usque in Jerusalem indigentibus vitæ necessaria subministrabat : respondit cardinalis Julianus, quod his omnibus non de annatis subventum fuerit, neque hæc vocabula tum audiebantur.

6. Annatæ in concordatis Galliæ non habent solidum fundamentum, hinc legatis Henrici II ad concilium Tridentinum mandatum fuit, Patribus insinuare, Papæ in regno Francorum ad illas nullum jus esse, quod anno 1579, Parlamentum Parisiense ad Henricum III, observavit. P. Berthier refert, annatas ex universo regno Galliæ annuatim non importare, ultra ducenta millia librarum, et ideo ob hanc summam non adeo excessivam, et alias rationes tolerari a regibus. Juxta alias fideliores fors relationes titulo annatarum, dispensationum, et aliarum Romanarum exactionum, annue saltem quingenta millia librarum e Gallia Romam deportantur, quod a tempore Francisci I, intra 250 annos secundum modernum monetæ valorem conficit ducentos quinquaginta milliones librarum. Adde nationis Gallicæ in concilio Constantiensi publicam declarationem de annatis non solvendis apud Herman. Von der Hardt.

7. Teste Victorio Siri, Michaël episcopus Lamecensis Joannis IV, Lusitaniæ regis ad Urbanum VIII, legatus demonstrat, ex solo Lusitaniæ regno ob diplomata et alias caussas, quingenta scutatorum millia quotannis Romam deportari.

8. Sed nec Germanis magis parcitur. Martinus Meyer cancellarius Moguntinus epistola ad Æneam Sylvium ait, ' mille modos excogitari, quibus Romana sedes aurum a Germanis tanquam Barbaris extrahat, ut natio quondam inclyta, ad inopiam nunc redacta, ancilla et tributaria facta sit. Legatus Moguntinus in publico conventu imperii retulit, a Trevirensi 30 ducatorum millia peti pro Pallio, pari modo Moguntinum vexari, in Italia archi-episcopatus esse, qui pro Pallio non solvunt ultra centum coronatos. Legatus Cæsareus subridebat dicens : scribendum Papæ, se, nisi Pallii taxam remittat, Lutheri sectam amplexuros. Legatus Moguntinus reposuit, jocum hunc male verti posse, cæteroquin efficacissimum id fore remedium, ad insinuandam Romanis moderationem.

9. Cum in exactione annatarum toties excederent Romani, multum conquesti, et de iis abrogandis apud Cæsarem egerunt ordines imperii in diæta Confluentina anno 1479, item apud Maximilianum II, anno 1510, ac in responsione Cheregato nuntio apostolico data in comitiis anno 1523. Adde litt. Caroli V, Imp. ad Adrianum VI, PP.

10. Natalis Alexander quidem annatas *titulo subsidii charitativi*, in quod principes vel nationes partim tacite, partim expresse consentiunt, a vitio simoniæ et injustitiæ liberat; nihilominus histor. eccles. tom. VIII, pag. 581 docet, eas revocandas

non esse, *quamdiu concordata fideliter serventur.* Hac reservatione *in thesi* nihil æquum magis est ac naturale. Sed hæc conditio non servatur, futurum concilium, ut de annatis et alternativa mensium aliter ordinetur, adhuc expectatur. Et quid de illis, qui ejus convocationem studio declinant.

11. Duo episcopi in Francia a Rege nominati, a biennio non residebant in suis diœcesibus, nempe ut interim expensas bullarum Romanarum ex suorum episcopatuum fructibus recuperent. Nec dubitat Febronius alios idem fecisse, ne primo ingressu debitis obruti deinceps perpetuo egeant. Gayot de Pitaval *dans les Causes célèbres*, t. XII, ait, cancellarium Duprat fuisse, qui Leoni X et Francisco I, concordatum suasit, vi cujus omnes episcopi et abbates in antecessum tenentur solvere fructus primi anni, et usque ad solutionem sunt exclusi ab administratione monasteriorum et episcopatuum. Sed fors nimium imponitur cancellario Duprat. Abrogatis in concilio Basileensi et pragmatica sanctione annatis, concordatum Gallicum eas expresse non restituit, sed solum ordinat, ut in omnibus provisionibus beneficiorum Roma obtinendis illorum *verus annuus valor secundum communem æstimationem exprimatur; alioquin gratiæ ipsæ sunt ipso jure nullæ.* Hinc Itali concludunt, regulam 55 cancellariæ, consequenter et ipsas annatas approbatas esse. Galli e contra sustinent, annatas unice solvi, quia Rex

permittit, et clerus consentit. Vid. La Combe et Durand.

12. Meretur observari, et data occasione usum habere potest, quod concilium Basileense archiepiscopo Lugdunensi, tanquam primati Galliæ commiserit, ut Hugoni Rothomagensi archi-episcopo, cui Eugenius P., propter annatas nondum solutas integre, Pallium negaverat, pro eo casu vices Papæ supplendo, Pallium largiretur.

NOTA.

Eousque progreditur Febronius, ut etiam annatas publicis nationum, principumque pactis atque consensu firmatas de simonia et injustitia accusaret: præter alia enim in suis operibus sparsim prolata in prima indice tomi I, verbo *Annatæ* ita habet: *Annatarum excessus et injustitia. Sapiunt simoniam. Nullo possunt prætextu sanari etc. etc.* Hæc alio non tendunt, quam ut summos Pontifices et curiam per omnia exosos reddat, tanquam maximorum criminum auctores, fautores. At meminisse debuisset Febronius, has injurias et crimina simoniæ atque injustitiæ non minus recidere in summos principes et integras nationes, qui annatas non solum approbarunt, sed et solemnibus pactis firmarunt, utique non ignari, quid in hac re prius scripserint auctores, atque egerit concilium Basileense: et tamen Febronio ubivis applauditur: hic præ aliis bene ac

vere scripsit. Non ideo eidem a principibus aut nationibus invidiam concilio, quando ea cuivis plana et aperta sunt; haud opus est crimen quærere aut fingere, quod facile omnibus patet.

Porro quare Febronius in hac materia, sicut alibi sæpius, non potius sequitur Natalem Alexandrum, Petrum de Marca, Barthelium, qui annatas ab omni injustitia et simonia invictis argumentis absolvunt? taceo Cardinalem Petra, Thomam Campegium, Pallavicinum, Gallesium, Ferdinandum Cordubensem, Petrum de Monte, Amidensem, Lotterium, Azorium, Binerum, aliosque, qui Febronio non ita arrident. Quare magis sequitur auctores Protestantes, indubios Papatus et curiæ Romanæ hostes, aliosque non parum suspectos, uti Launoium, Duarenum, Carolum Molinæum? quippe alii optime catholici, qui etiam contra annatas scripserunt, Febronio non consentiunt, et facile absolvuntur, quod infra videbimus.

Contra annatas præcipue tria opponuntur, *injustitia*, *simonia*, *novitas* : sed ab his vitiis egregie vindicant illas Natalis Alexander, aliique. Annatas *injustitiæ* perperam insimulari ostendunt. 1. Quia in veteri testamento summus sacerdos num. 18, decimam partem recipiebat ex decimis Levitarum; quidni injustum sit, si novi testamenti summus Pontifex quidquam recipiat ex decimis, seu redditibus inferioris cleri titulo subsidii sibi multos in fines necessarii? 2. Qui curam animarum gerunt, pro honesta sustentatione decimas juste percipiunt;

igitur qui totius gregis pastor existit, ab inferioribus pastoribus quidquam percipere poterit. 3. Tota Ecclesia est corpus mysticum, cujus caput visibile est Rom. Pontifex : sed reliquis membris, sicut in corpore naturali, ex lege naturæ incumbit subsidium ferre capiti; igitur annatæ titulo subsidii, modo etiam consensu principum et prælatorum firmatæ, Pontifici ex justitia debentur. 4. Ecclesiæ cathedrales et abbatiæ non absque auctoritate Rom. Ecclesiæ erectæ sunt, et ideo hæc dicitur mater omnium ecclesiarum : at sicuti liberi ex lege naturæ tenentur subvenire patri naturali, et filiæ matri egenti auxilium præstare, ita magis spirituales filii patri spirituali ac matri, quod fit per annatas. 5. Stipendia spiritualia honesta sunt et licita, cur non etiam annatæ? præcipue dum salaria seu stipendia singulis annis solvuntur, annatæ vero tantum semel, atque primo anno. 6. Tributa principibus in recognitionem universalis Domini, et in publicarum necessitatum subventionem solvi debent : cur annatæ denegentur Pontifici ex eadem ratione, qui est supremus rector in Ecclesia, et publicis necessitatibus providere, subvenire, totiusque curam sustinere debet? 7. Ex privilegio apostolico, statuto vel consuetudine permitti potest, ut fructus primi, vel etiam duorum et plurium annorum ex beneficiis reservari possint pro ædificiis, pro episcopo, pro debitis episcopi vel fabricæ solvendis, quales reservationes quotidie fieri cernimus : igitur

et dimidii fructus unius anni pro summo Pontifice et necessitatibus totius Ecclesiæ, cujus ille curam habet, reservari possunt. Adde, quod supra memini, annatas modo consensu principum, prælatorum, et solennibus pactis firmatas esse, unde D. Barthel concludit, annatas modo *ex justitia* deberi, et solvendas esse. Et hæc quidem argumenta hactenus allata *pro justitia* annatarum satis solide concludunt.

Equidem dubium adhuc movet idem D. Barthel. dissert. prælim. de concord. cap. 3, sect. 3, n. 7, utrum nullo principum et prælatorum consensu, et pacto accedente, annatarum solutio nihilominus necessaria, et extra necessitatis caussam, strictæ obligationis foret? præcipue dum sicut aliis episcopis in sua diœcesi pro congrua sustentatione certi reditus sunt assignati, ita et Romanæ Ecclesiæ sua portio quoque tributa fuit, qua sibi satisfactum fore putaverunt primi Pontifices, nullum præterea subsidium implorantes, multo magis, quando illa portio per ingentia patrimonia ab Imperatoribus adaucta fuit. Verum hoc dubium facile dispellitur : omnia superius adducta Natalis etc., argumenta se fundant in titulo *subsidii et subventionis* necessariæ: subsistente igitur tali necessitate, strictam obligationem solvendi annatas, atque justitiam clare demonstrant. Hinc illud consequitur, absque justa caussa et necessitate annatas exigi non deberi : attamen ista necessitas non semper debet esse præsens, nam et tributa non alio

fine penduntur; et tamen semper penduntur, ut supervenienti necessitati statim occurri possit, et si hæc major sit, etiam augentur. Quo latius autem et in plures provincias sese extendit cura, et providendi necessitas, eo frequentiores se offerunt necessitates publicæ, quæ non semper omnibus patent. Ideo dubium vix esse potest, dum Rom. Pontifex totius in universo mundo Ecclesiæ curam gerit, publicas religionis necessitates nunquam abesse, quæ vel sublevare, vel eorum onera sustentare, aut quomodolibet providere debeat, præcipue si temporum circumstantiæ, aliaque attendantur.

Neque est, quod ad veteres et primos Pontifices adpelles, de quibus etiam inferius dicemus, quamvis ii annatas sub ea forma, qua nunc exhibentur, non exegerint. Plurima enim sunt, quæ hodie majorem earundem necessitatem, dispensationem et usum legitimum comprobant. Etiam veteres episcopi, quibus non minus sua portio pro sustentatione assignata, quandoque aucta fuit, primos fructus unius anni a beneficiis inferioribus et abbatiis subditis non exigebant, nunc vero ab omnibus tolluntur. Hinc idem D. Barthel. l. c. ait, nationem Germanicam de annatarum solutione cum summa sede convenisse, *non ignaram, aucta sedis apostolicæ temporali majestate, novas ipsi præbitas fuisse ingentium sumptuum occasiones; aucta fuisse cum opibus onera, universalis Ecclesiæ necessitatibus*

Pontifices consulere debere pro viribus, ærario vacuo id non posse. Annatarum subsidium, quarum solutionem iis interdum vel in totum, vel in partem condonant, qui ob merita in Ecclesiam, vel ad episcopatus belli aut temporum injuria in bonis suis imminutos promoventur (vides, Rom. Pontifices per annatas etiam aliis ecclesiis subvenire, si vel ipsi minus egeant, vel istæ majori necessitate graventur) *superfluum non esse Pontificibus, qui in Ecclesiæ utilitatem bona Ecclesiæ profundunt, sive ad Ecclesiæ defensionem adversus infideles, sive ad subveniendum christianis et catholicis regibus, cum factionibus hæreticorum, aut quorumvis perduellium conjurationibus eorum majestas et regna in discrimine versantur, sive ad destinandos, fovendosque prædicatores in terris infidelium, ad fines Ecclesiæ propagandos, sive ad Neophytorum et fidei caussa exulum subsidia, sive ad pauperum levandam inopiam, aliasque publicas et pias caussas, quorum exempla cum laudatissima in summis Pontificibus, qui modum sumptibus duntaxat domesticis ponebant, tam antiqua, quam recentia palam extent, recensere supersedeo.* D. Barthelio Germaniæ canonistæ jungo Italum Pallavicinum hist. concil. Trid. part. 1, l. 2, 68, non minus vera loquentem : *Ex sacerdotiis totius orbis christiani annatarum proventus tanquam decimæ exiguntur, quibus summus sacerdos, aliique minores ecclesiastici sustententur : cui certe opus est, pro christianæ gentis communi bono, non modo pon-*

tificiam aulam instruere plurimis eximiis ac nobilibus administris, sed suorum indigentiæ subvenire, tot nuntiis sumptus præbere, tot miserorum fortunas erigere, totaque de republica bene meritis præmia oportune largiri.

De simonia annatæ accusantur. At frivole atque falsissime. Audi D. Barthelium loc. cit. num. 5, rursum ita statuentem : *Doctrinale judicium de hac questione, utrum exactio annatarum sit simoniaca? non magistratus politici, sed prælatorum et doctorum Ecclesiæ proprium est, et finitiva ea de re sententia ad episcopos, Pontificem ipsum, et concilia pertinet juxta gravissima verba Basilii Imperatoris in allocutione synodi VIII.* OEcumenicæ : — Laico cuicunque nulla ratione de ecclesiasticis caussis disputandi fas esse dico, hæc enim excutiendi, et in utramque partem agitandi patriarcharum, sacerdotum et doctorum est officium, quibus a Deo ligandi et solvendi potestas est concessa. Nam laicus, etsi omnis pietatis et sapientiæ laude præstet, tamen laicus est, et ovis, non pastor. — *Porro doctores, episcopi, Pontifices maximi, Ecclesia per orbem diffusa, annatas subventionis titulo exigi, solvique posse agnoscunt, sentiunt, judicant, sive ante, sive post bullarum concessionem exigantur. Horum itaque judicio standum est quoad juris quæstionem in hac caussa.* Dein idem auctor ait, varium olim inter Patres et Doctores de annatis judicium fuisse, fere tale, quale fuerat de investituris : de his quidem, *quod*

sub diversa facie, et sub diversis obtutibus spectarentur, hæreseos infamia laborarunt, quatenus divinam episcopatus auctoritatem tribuere velle, tradendo electis præsulibus baculum pastoralem et annulum, laici principes præsumebantur. Innoxiæ habitæ sunt, cum vidit Ecclesia principes bonos et munificos non sibi tribuere investituram, quæ episcopum perficit, id est, spiritualis concessionem potestatis, sed investituram, quæ episcopum pascit, ut loquitur Goffridus Vindocinensis, id est, concessionem feudorum et bonorum temporalium. Non dispari ratione annatarum exactio diversa ratione et obtutibus spectata simoniæ damnabatur, et ab omni simoniæ suspicione immunis judicabatur. Damnabatur ut simoniaca, cum nondum exploratum erat, eas vero, reali et legitimo subventionis titulo exigi, solvique, sed ob electionum sacrarum aut præsentationum confirmationem: a simoniæ vitio liberæ judicabantur, et etiamnum judicantur, si exigerentur, et solverentur, ut exiguntur, solvunturque modo, et ab annis retro pluribus exactæ sunt et solutæ, vero scilicet titulo subventionis. Petrus de Marca lib. 6, de concord. S. et I, cap. 12, ait: *æquum non esse, ut pristinam severitatem mordicus teneamus quoad annatas, quas episcopi solvunt, cum eæ obnoxiæ sint interpretationi, quæ ipsas liberat a vitio simoniæ, titulo videlicet subventionis; modus quippe adigendi ad earum solutionem, retentis videlicet bullis, quæ erat lapis scandali tempore conciliorum Constan-*

tiensis et Basileensis, in consuetudinem versus est, absque conquæstione prælatorum aut principum, qui solutioni huic consenserunt sub titulo subventionis. Ea videlicet ratione tollitur omnis suspicio simoniæ, quandoquidem alio titulo reali et legitimo solvuntur, cujus natura mutari non potest ob modum, qui observatur in solutione.

Sed jam videamus, quam concinne, quam solide ac consequenter contra annatas disputent Protestantes scriptores, et quidam alii politici? negant eas Pontifici competere, injustas, simoniacas, sordidas esse aiunt, et tamen cum Pfeffingero asserunt, per instrumentum P. W. omne jus papale circa annatas in principes Protestantes fuisse translatum, proin ipsis ex omnibus beneficiis ecclesiasticis annatas competere : pariter eas in statibus catholicis fisco Cæsareo addendas esse.

Verum si annatæ Papæ *nullo jure* competunt, quomodo *hoc jus Papale* in alios, præprimis laicos transferri potuit? si annatæ *injustæ* sunt, si *sordidæ*, si *simoniacæ*, qua ratione ex omnibus beneficiis ecclesiasticis illi poterunt eas exigere? si *injustæ*, si *simoniacæ* sunt (etiam contra catholicos politicos cum Barthelio loquor) cur episcopi eas passim ex beneficiis et monasteriis exigere possunt, et exigunt? discrimen quod inter Papam et episcopos Febronius affert, sufficiens haud esse, infra videbimus. Si *jus papale* est, cur negant illud Papæ competere? si *jus*

Papale non est, si ratione supremæ in sacris jurisdictionis, aut titulo subventionis Papæ non debetur, quo titulo illud laicis, præcipue acatholicis principibus tribuitur? Bona et reditus ecclesiastici justissimis titulis sustentationis, donationis etc. ad Ecclesiam et ecclesiasticos transierunt, possessione multorum sæculorum immemoriali, pacifica et legitima firmantur, quæ si nihil valent, et tam facile everti possunt, nulla amplius quorumcunque bonorum possessio, nullum dominium proprietatis in republica certum atque securum erit. Certissimi et genuini universalis Ecclesiæ canones, adstipulantibus quoque et confirmantibus legibus civilibus Imperatorum, prohibent, bona ecclesiarum et monasteriorum, aut reditus, qui in sustentationem ministrorum sunt destinati, in alios usus, profanos præcipue, convertere. Cum autem Papa sit custos et vindex canonum, cum principes catholici, tanquam tutores et advocati ecclesiarum canonum observantiam in sententia adversariorum urgere possint, ac debeant, quo pacto ille, Papa nempe, etiam stante horum sententia, absque gravi religionis et Ecclesiæ necessitate, talibus juribus, bonis, reditibus cedere, et per hoc genuinos ac universales canones evertere, aut principes, deposito quasi tutoris et advocati officio, illos reditus et bona in perpetuum suo fisco addicere, atque in alios usus convertere possunt? en! cohærentiam doctrinæ adversariorum.

Denique contra annatas *novitas* opponitur: verum an vocabulum *annatarum*, an res significata nova est? hodie multa tributa et exactiones clericis et laicis imponuntur, quæ et onere et nomine *nova* sunt; quantumcunque novitatem objicias, nihil prævalebis. De hoc quæritur, utrum æquæ ac justæ sint? novæ sint annatæ, si tamen justæ sint, si omni vitio simoniæ ac injustitiæ careant, non est, quod conquueraris. Attamen annatæ, si non solum nomine, sed re, et sub eo titulo spectentur, quo nunc petuntur, profecto sunt antiquissimæ. Num novum quid est in Ecclesia, ut una Ecclesia, etiam in temporalibus alteri subsidium ferat, et quandoque inferiores clerici a superioribus, sæpe superiores ab inferioribus sustententur, opemque ferant? et quid annatæ reipsa sunt, nisi subsidium ab inferioribus prælatis supremo religionis et Ecclesiæ capiti ac pastori collatum?

In veteri testamento num. 18, a Deo præceptum fuerat Israëlitis, ut Levitis decimas de omnibus persolvant: Levitis autem præcipiebatur, ut decimam partem decimarum ab Israëlitis sibi solutarum summo sacerdoti tradant. En! Ideam, divino sancitam mandato, sustentandi, alendique cleri. Levitæ ac sacerdotes decimas accipiebant a populo, summus vero sacerdos ab ipsis Levitis et sacerdotibus inferioribus.

Nihil obstat, quod in novo testamento Papæ et Romanæ Ecclesiæ per patrimonia et fundos

provisum sit. Per hoc utique non indiget, ut ab inferiori clero integre sustentetur, ac decimas ab eo recipiat; si tamen pro necessitatibus publicis ac communibus, atque universalis Ecclesiæ onere sustinendo illa non sufficiant, quid justius est, si, ad normam olim divinitus præscriptam, subsidium ab inferioribus prælatis et clero petatur, quod fit per annatas, quæ tali modo in partem decimarum succedunt, atque ab his solum secundum formam, modum et tempus solvendi differunt? Porro in quo alio titulo fundantur cætera jura episcopalia, cathedraticum, jura archidiaconalia, subsidium charitativum, et ipsæ annatæ, quæ episcopis solvuntur? taliter clerus ab ipso clero, et Ecclesiæ ab ecclesiis sublevantur, sustentanturque, quin statui civili novo sint oneri.

Initio Ecclesiæ fideles conversi prædia, agros, fundos vendebant, ac pretium ad pedes apostolorum ac episcoporum deponebant, ex quibus tum apostoli et reliquus clerus, tum ipsi, cæterique qui egebant, victitabant, unde patet ex quorum bonis apostoli et clerus initio Ecclesiæ sustentarentur. Quapropter Paulus, cum multa disseruisset de victu ministrando iis, qui annuntiant evangelium, tandem sancitam a Domino legem promulgavit : *ita Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere.* 1. Corinth. 9 et superius : *nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, cum altari par-*

ticipant. Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Nempe ut ministri religionis et altaris ab ipsis fidelibus victum et necessaria sumant, alanturque. Sed cum oblationes fidelium non ubivis sufficerent, *collectas* fuisse factas, quæ indigentibus ecclesiis submissæ sunt, rursum ex ipso D. Paulo discimus. Sed en! hìc subsidium et modum subsidii, quod una Ecclesia alteri ferebat. Verum et Romana Ecclesia primis temporibus jam extollebatur, quod aliis ecclesiis liberalius succurreret, ut constat ex epistola S. Dionysii Corinthiorum episcopi, quam affert Eusebius l. 4, c. 23. *Apud vos* (de Ecclesia Romana loquitur) *is mos jam inveteravit, ut omnes fratres variis afficeretis beneficiis, et ecclesiis permultis, quæ in quaque civitate sunt, vitæ mitteretis subsidia.*

Hæc tamen non ita intelligas, velim, ac si primis temporibus nulla unquam bona immobilia, domos, fundos, agros, tanquam sibi proprios possedissent clerus et Ecclesiæ. Legimus enim, jam Evaristum, Hyginum, Marcellum summos Pontifices presbyteris divisisse parecias seu *titulos*, qui tituli erant domus cultui divino mancipatæ, in quibus christiani convenire, et synaxes agere consueverant. Pariter prædia, domos, fundos, bona immobilia possedisse ecclesias ex epistolis Pii I, sæculo secundo, et Urbani I, sæculo tertio colligitur, maxime vero ex edicto Constantini et Licinii Imperatorum

apud Eusebium l. 10, cap. 5, et alio edicto, non multo post ab iisdem ab Amullinum misso, ubi sive horti, sive ædes, et quæcunque possessiones, quæ prius ad christianorum ecclesias pertinebant, et tempore persecutionum ablatæ sunt, restitui jubentur.

Porro neque per *collectas* solum, ut dixi, subsidium aliis ecclesiis et clero ferebatur, sed etiam Damasus P. de disciplina sæculi IV, testatur, ordinatos a Papa aliquid ei solvisse, quod propius cum hodiernis annatis convenit. Justinianus Imperator vero novella 123, asserit, quod episcopi pro *inthronisatione* Rom. Pontifici solverint certam taxam, viginti nempe auri libras, quod eadem novella Imperator confirmat.

Cum dein sæculo IX, auctoritate Pontificia erigi cœpissent beneficia ecclesiastica in perpetuum titulum, etiam ex iis aliqua portio sedi apostolicæ solvi cœpta fuit. Sic sæculo XII, episcopus Cenomanensis certam taxam solvit, teste Rogerio De Hoveden. Et ipse Pfeffingerus in vitriar. illust. part. 1, l. 1, tit. 15, citato Henrico Ostiensi fateri debet, sub medium sæculi XIII, viguisse consuetudinem, qua consecrati Romæ episcopi tenebantur, pensionem solvere, inter Papam et cardinales æquis partibus dein divisam, quæ ut plurimum annuo collati beneficii proventui corresponderit. Num amplius *nova* dicatur *annatarum* solutio, cujus tot in antiquitate deprehenduntur vestigia? nisi fors solum nomen,

formam et modum hodiernum, non rem ipsam attendere velis.

Interim non nescio, jam a temporibus apostolorum in persona Simonis Magi usque ad sæculum V, eum abusum apud multos fuisse, ut pro ordinationibus, aliisque gratiis, beneficiis et dignitatibus spiritualibus pecunias, et lucrum reportarent, uti Cassiodorus lib. 9, variat., et canones apostolici can. 30, nobis testatum faciunt. Non ignoro, S. Joanne Chrysostomo adnitente, teste Palladio in ejus vita, in concilio Ephesi celebrato sex episcopos, qui ordinationes ab Antonino episcopo Ephesino pretio emerant, depositos fuisse. Scio pariter, concilium Chalcedonense depositionis pœnam in eos statuisse, qui turpis hujus quæstus convincerentur. Addo summos Pontifices ipsos, uti Damasum, Gregorium M., qui multis in locis, e. g. ad Eulogium Alexandrinum, ad Virginium Arelat., ad Joannem Corinthi, ad episcopos in Epiro, ad Childebertum, Brunegildem, Theodoricum et Theodebertum Reges simoniacas ordinationes damnaverunt, et cum Zacharias P. a quibusdam falso insimularetur, quod pro ordinationibus et Pallio aliquid reciperet, gravissime conquestus est, sibi injuriam, et calumniam irrogari : *fastidiosum a nobis,* inquit, *et injuriosum suscipitur, dum illud nobis ingeritur, quod nos omnino detestamur. Absit enim a nobis et nostris clericis, ut donum, quod per Spiritus S. gratiam suscepimus, pretio venumdemus.* Epist. 143 ad Bonifacium.

Attamen ex his tria omnino tanquam certa fluunt. 1. Si ipsi Rom. Pontifices, etiam posteriores tanta cura et zelo ex omnibus ecclesiis tum in occidente, tum in oriente vitium simoniæ extirpare, atque punire allaborabant, utique illud minus adhuc in se ipsis et sua Ecclesia regnare concedebant, quod patet ex mox citata epistola Zachariæ P. 2. Nihilominus vetustissimis jam sæculis, teste Damaso P. et Justiniano Imperatore, ab episcopis Romanæ Ecclesiæ non quidem *pro ordinatione*, sed post ordinationem certa taxa soluta fuit, quod etiam lege confirmat Imperator eadem, qua simoniacas ordinationes prohibet. 3. Istæ seu oblationes seu taxæ tunc neutiquam ut injustæ, nec ut simoniacæ habebantur; de hoc enim nec Damasus testatur, neque Imperator lege confirmasset. Quippe non pro ipsa gratia spirituali, pro ordinatione, pro consecratione, sed pro sustentatione aut subsidio, vel tanquam oblationes, quantumvis ad certam summam taxatæ solvebantur. Sed in his ideæ hodiernarum annatarum clare deprehenduntur, et non nisi nomine, forma, et modo solutionis discrepat.

Jam etiam ad argumenta Febronii directe respondendum erit.

Ex præmissis, et adhuc dicendis liquido constat, annatas, si in re spectentur, nec *novum* onus esse, nec infirmo nixum fundamento, multo minus aliam supponere naturam Rom. Pontificis, quam quæ ei ex jure divino et sacris canonibus inest.

Videbimus porro, potiora argumenta, quæ Febronius et alii contra annatas Rom. Pontifici solvendas adstruunt, etiam contra episcopos valere, qui primos fructus et annatas ex monasteriis et beneficiis inferioribus exigunt. Quis autem unquam dicere, vel credere ausit, summum Pontificem et omnes episcopos injusta petere, vitiis simoniæ et injustitiæ scatere? Quod autem pro fundamento et disparitate Papam inter et episcopos ponit Febronius, nempe quod episcopi ante bonorum divisionem fuerint pleni administratores bonorum temporalium suarum diœcesium, et quod crederetur, mortuo beneficiato, beneficium iterum coalescere cum suo episcopatu, tanquam cum suo stipite, hoc, inquam, stante semel beneficiorum erectione et divisione, episcopum neque ab injustitia, neque a simonia, quoad annatas recipiendas, ex toto absolveret.

Episcopus in sua diœcesi fuit utique, et adhuc est bonorum Ecclesiæ administrator, non dominus, non proprietarius; ideo jam in antiquissimis conciliorum canonibus, atque in ipsis canonibus, vulgo apostolicis, prohibitum fuit, ne episcopus ex rebus Ecclesiæ sibi aliquid vindicet, tanquam proprium, aut tanquam propriis utatur. Distributis autem ecclesiis in diœceses, et facta dein in his bonorum divisione, sua quoque portio cuivis episcopo assignata fuit, qua eidem satisfactum esse credebatur, sic ut reliquus clerus sua quoque portione quiete ac integre frui posset. Per hanc

divisionem igitur non aliud, neutiquam vero majus jus episcopo in portionem et reditus cleri accrevit, quam quod prius habebat, nempe ut sibi de iis pro libitu aliquid reservare posset, sed tantum ut esset administrator, haberetque curam et inspectionem. Quod si tamen sua portio episcopo pro necessitate suæ Ecclesiæ non sufficeret, tunc poterit utique inferiores ecclesias et beneficia onerare, annatas etc. exigere non titulo juris rigoroso, ac si fructus beneficiorum sibi stricte deberentur, aut proprii essent, sed titulo subventionis, scilicet eodem, quo Papa annatas exigere potest, et exigit.

Proin ex eo, quod episcopi sint administratores bonorum ecclesiasticorum, non sequitur, quod hoc titulo præcise reservationes fructuum beneficialium, et annatæ ex iis perceptæ justificentur.

Accedit, quod dum episcopi sæpe diutius retinerent fructus beneficiales vacantis Ecclesiæ, sicque Ecclesiæ diu vacarent, in conciliis œcumenicis Lateranensi III et IV, id pro corruptela habitum, atque episcopis inhibitum fuerit, ecclesias novis exactionibus onerare; iis pro conferendis beneficiis semestre præfixum, statutumque, ut reditus beneficiales post mortem clerici maneant Ecclesiæ. Mirum! quod Febronius hanc corruptelam, nempe diuturnam retentionem fructuum vacantis beneficii *jus* vocet, et magis mirum! quod his in conciliis id, quod tum exercebant,

sibi ipsis detraherent, et inter corruptelas numerarent episcopi, si tamen jura sua esse existimassent.

Altera ratio, quod beneficia coalescere crederentur cum episcopatu, tanquam cum suo stipite, minus firmo et falso supposito laborat. Quod ad ecclesias et beneficia, quocunque tempore erigantur, jurisdictio episcopi se extendat, atque illæ cum Ecclesiæ episcopi tamquam Matre cohæreant, nec sine consensu episcopi erigi debeant, consequenter in hoc sensu ecclesiam cathedralem episcopi respectu aliarum matricem esse, verum est. At falsum est, quod omnes ecclesiæ et beneficia ab episcopo et Ecclesia matrice sint fundatæ et dotatæ; quot enim sunt in qualibet diœcesi Ecclesiæ et beneficia, ut de monasteriis nihil dicam, quæ suam fundationem, dotationem, reditus, post jam factam bonorum divisionem a laicis, a monasteriis, aliisque acceperunt, et noviter sunt erecta? prius ista enumera. Sed quomodo de his verum est, quod fuerint a matrice avulsa? quomodo illius fructus et proventus cum matrice, tanquam suo stipite, coalescere possunt, si ab eo nunquam sunt avulsi? tandem quomodo episcopo in fructus horum beneficiorum sit majus jus, quando illi ante bonorum divisionem neque cum tota bonorum ecclesiasticorum summa, et post bonorum divisionem nec cum portione episcopi, nec cum portione cleri etc. cohærebant, imo nondum bona ecclesiastica erant, sed noviter super-

venerunt? vides, annatas ab episcopis peti solitas tuis rationibus neutiquam justificari, nisi iisdem titulum subsidii et subventionis, sicut annatis Papæ subscribas. Taceo, illas non magis, ac has a vitio simoniæ aliter purgari posse.

Ad 1. Quidquid sit de origine annatarum sub ea forma, qua nunc penduntur, Clemens V, eas non exegit in perpetuum, sed ad breve tempus, nempe per biennium, uti scribit Matthæus Westmonasteriensis, neque in Ecclesia universa, sed tantum in Anglia : et si his egebat, justo hoc titulo potuit tanquam superior postulare, quod ipse alias inferioribus concedebat.

Quod autem prius jam Durandus Mimatensis contra pecunias Romæ solvendas scripsit, ad nostras annatas proprie non pertinere, recte notant Thomassinus et Barthelius, sed ad consuetudinem quamdam, qua jam olim certam pecuniæ summam in Romana curia persolvebant episcopi, qui consecrationis munus Romæ percipiebant, non quidem pro consecrationis munere, sed honorarii nomine. Verum si hæc consuetudo jam tempore Damasi P. Romæ fuit, neque ab eo aut ullo alio tum reprobata, quin potius ab Imperatore Justiniano lege stabilita, quod supra vidimus, tunc non est, nec etiam attentionem meretur, quod eam carpat severior, quam oportet, Durandus.

Ad 2. Si annatæ justo titulo petuntur, quod jam demonstravimus, Romani Pontifices sine excessu

propriæ potestatis ecclesiasticæ, quod perperam negat Febronius, eas sibi adscribere potuêre, et etiam sine læsione jurium imperii. Quid enim imperii interest, imo an non magis imperio seu reipublicæ conducit, si ecclesiastici ab ipsis ecclesiasticis sustententur, et reipublicæ non sint oneri? Sed, inquis, prætenso titulo subventionis, quo a nobis annatæ justificantur, natio Gallica in concilio Constantiensi jam respondit; inde inferes annatas injustas esse.

At ego respondeo, nationem Gallicam sic respondisse, ut titulum subventionis non damnaret, sed potius eum ut legitimum comprobaret, ut non de substantia, sed de modo eas exigendi atque de excessu potius quereretur, ut tandem doctiores Galli et tum, et hodie adhuc annatas omni injustitia et simonia vindicarent. Singula ad oculum demonstrari valent.

Primum patet ex ipsis verbis nationis Gallicæ a Febronio allatis : *et sane si non sufficiant reditus episcopi Romani de præsenti, primum habet requirere subsidium a clero suæ civitatis, et diœcesis, deinde suæ provinciæ, et per modum subsidii charitativi temporalis, et non perpetui census, et postmodum ab aliis ecclesiis immediate subditis potest subsidium benigne implorare (caussa necessaria supposita, expressaque et vera) honeste non possunt denegare ad tempus.* Nobis hìc quæstio non est de modo, tempore et personis, sed de substantia annatarum et titulo : sed annatæ

in substantia nil aliud sunt, quam *subsidium* et titulus est *subventio,* qui si non esset legitimus, Pontifex tale subsidium nec a clero suæ civitatis, diœcesis, provinciæ, nec ab ecclesiis sibi subditis etiam ad tempus implorare posset, quin etiam hæ honeste denegare possent. Vides annatas in substantia, et per modum subsidii non improbari, sed approbari; quod etiam confirmatur ex edictis regum Galliæ, qui annatas aboleri petierunt. Sic Carolus VI, inter alia expresse ait : *intendimus tamen tanquam Christi fideles summo Pontifici et Ecclesiæ Romanæ æque, plusve cæteris, in necessitatibus, et cum tempus exegerit, succurrere, et rationabiliter subvenire.*

Quod alterum attinet, nempe Gallos non tam de substantia annatarum, quam de modo, tempore et excessu eas exigendi et solvendi conquestos fuisse, ex modo dictis, et mox dicendis patescit, atque etiam Carolus VI, anno 1417 et 1418, senatus Parisiensis querelis interpellatus, edictum anni 1406 innovavit, quo annatas exigi et solvi prohibebat, addita hac quoque ratione, *quod, nullo tractatu habito cum prælatis, pro libitu voluntatis imponerentur*, et in iis exigendis, *sicut nec modus, sic nec misericordia, aut æqualitas servaretur, aut mensura.* Hæc una ex parte supponunt, titulum subventionis non semper adfuisse, ex altera vero ratio contra solum modum et excessum pugnat. Sed ratio hodie amplius non subest, ut eadem natio contra modum et

excessum conqueri possit. Tertium patet; nam præ cæteris solum nomino celebres inter Gallos auctores, Petrum de Marca et Natalem Alexandrum, qui annatas ab omni vitio simoniæ ac injustitiæ vindicant, quod supra vidimus. Nec tota natio Gallicana in concilio Constantiensi annatas damnavit, nec omnes deputati ad illud concilium præcipui, ut cardinalis Alliacensis et Joannes Gerson. Primus in libro anno 1417, Constantiæ conscripto non solum probat, annatas titulo subventionis justas esse, sed insuper ait, ***status prædictus*** (Papæ et cardinalium) ***dum recipit, et quærit subventiones consuetas in oblationibus, decimis, vel annatis et similibus, non debet eo ipso de simoniaca pravitate notari, nisi forte vitium aliud in exactionis modo concurrerit, quod vitium corrigi debet, non obinde status minui, destrui, culpari, vel juribus aliunde defraudari.——Oppositum vero pertinaciter imponere, notando generaliter de simoniaca pravitate totum statum istum, temerarius error est, nec esset ferendus.*** Tandem ait: ***solutio nunc existens —— de primis annatis et similibus permaneat, quousque fuerit alia saltem provisio salubrior vel sanctior rationabilius adinventa. —— Facientes contra præmissa non conformant se, sed manifeste obviant constitutionibus Regis Franciæ, Ecclesiæ Gallicanæ, et universitatis Parisiensis.*** Per hæc igitur nationi Gallicæ, vel potius iis, qui annatas, quoad substantiam aboleri volebant, satis

responsum fuit a præcipuo Gallo in eodem concilio Constantiensi, unde etiam patet, nequaquam totam nationem, quin nec Reges, Ecclesiam Gallicanam, universitatem Parisiensem, annatas, quoad substantiam, damnasse. Joannes Gerson, Petri Alliacensis discipulus, in lib. de vit. spirit. anim. lect. 3, statuit, ut Papa *tanquam superior et tutor atque conservator honoretur et juvetur ab omnibus*. Lib. vero de statibus Ecclesiæ consider. 6, ait : Romani Pontifices, exigendo annatas, *non scandalizant active, vel peccant, sed merentur tanquam defensores jurium non solum suorum personalium, vel Ecclesiæ particularis Romanæ, sed universalis Ecclesiæ, et ad utilitatem, honestatemque totius reipublicæ christianæ, quæ consistit in suorum decore membrorum, maxime principalium*. Non capio, qua caussa Gerson sibi alibi contradixerit, nisi velis, eum prius contrariam tenuisse sententiam, quam mutavit : at hunc virum sibi sæpius contradixisse, jam deprehendimus.

Neque natio Hungarica titulum subventionis tanquam injustum accusavit, sed solum dixit, talibus subsidiis ipsos Hungaros egere; quod si injusta fore existimassent, quomodo sibi petere potuissent?

Ad 3. Num per hoc inferiores prælati et episcopi, in exigendis annatis, a vitiis injustitiæ et simoniæ excusantur? an non Febronius cum Gersone sic omnes episcopos simul et Papam reos agit? dixi

supra, argumenta Febronii etiam contra episcopos exigentes annatas valere, uti etiam patet. De Gersone vide supra.

Ad 4. Idem fere mos obtinet etiam in curiis episcoporum; igitur contra hos argumentum quoque obtineret. Quoad Papam, post concordata, solutio annatarum jam in obligationem justitiæ transiit sic, ut ex pacto fieri debeat, ex quo tollitur libertas solvendi, nec amplius requiritur consensus; hinc D. Barthel dissert. prælim. de concord. c. 3, sect. 3, n. 3, ait: *nihil refert, quod modus et forma solvendarum annatarum in concordatis Germaniæ præscripta suum non habuerit effectum, cum observantia sit, ut exactio et solutio earumdem ante prælatorum inaugurationem, sive in actu expeditionis litterarum apostolicarum hodie fiat; nam præterquam quod modus solutionis naturam tituli veræ et realis subventionis non immutet, ad hunc exigendi modum compulsi sunt Romani Pontifices per ingrati animi vitium eorum, qui bullis impetratis, et possessionem beneficiorum adepti, sedem apostolicam subsidio defraudabant.* Citat dein Æneam Sylvium, qui hac in parte Martinum Meyerum cancellarium Moguntinum conquerentem, quod annatæ statim sine misericordia exigantur, egregie contundit.

Ad 5. Febronius fateri cogitur, quod concilium Basileense annatas non absolute prohibuerit: certe autem prohibuisset absolute, si injustas et simoniacas esse serio existimasset, dum nihil in-

termisit, quo bilem in Papam egerere, et nationibus placere valuit. Duo in hanc rem decreta edidit ista synodus : primo sess. 12 statuit, ut annatæ cessent, dum interim concilium ipsum provideret sustentationi et oneribus Papæ, Ecclesiæ Romanæ, et cardinalium. At aliunde non providit synodus congruum ac necessarium R. Pontificis et cardinalium sustentationi subsidium : annatarum ergo solutioni, non impleta conditione, adhucdum consensisse videtur, ait Barthelius. Alterum decretum sess. 21, annatas penitus abolere videtur; verum supponit, quod aliunde congruum, honestumque subsidium Rom. Pontificis et cardinalium sustentationi provideretur juxta decretum sess. 12, quocum debet conciliari, ut iterum ait Barthelius, secus se aperte vel vitio vindictæ in Papam, vel contradictionis exposuisset. Concilium ergo Basileense, si istud ab omni infamia hac in parte vindicare volumus, titulum subventionis legitimum, quin et necessarium esse duxit sub conditione, si Romanæ Ecclesiæ non alio modo provideatur, quod magis adhuc patet ex responsis cardinalis Juliani, nomine synodi ad Eugenii IV oratores, datis. Imo conciliabulum istud quomodo potuit serio damnare annatas, quin seipsum damnaret, cum Felici Pseudo-Papæ, a se electo, varias annatas concessit.

At Febronius alio recurrit. Petit, omnia in antiquum statum restitui, et tunc Papa non indigebit tot ministris, adeoque nec tot subsidiis.

Speciosissima propositio, sed ab omnibus rerum gnaris omninò deridenda! Si quis velit, ut in Romana Ecclesia et curia omnia ad antiquum statum, et si placet, etiam usque ad primævam communionem bonorum reducantur, ignorare ille haud poterit, pariter in tota Ecclesia plurima mutari debere. Prius primævum spiritum omnibus fidelibus infundere, dein talia etiam in curiis episcoporum prædicare oportebit, et timeo, ne responsum ferat, ut amplius Romam lacessere pigeat.

Nec Georgius Vicelius a calumniis excusari poterit, et tamen illi subscribit Febronius? ejus *Elenchus* et *via Regia* scatent propositionibus erroneis, scandalosis, temerariis, atque malis dicteriis Protestantium, unde nequaquam audiri meretur. Sit, quod jesuita Browerus eum reponat inter propugnatores Ecclesiæ catholicæ ob hoc, quia contra Lutherum scripsit de bonis operibus: attamen ob alios errores valde vapulat apud Rainaldum, Joannem Eckium, Nicolaum Serrarium etc. quin hoc ipso loco, in quo eum allegat Febronius, de calumnia convincitur: si res ita se habuit, et adhuc habeat, prout ait Vicelius, quare hactenus a Rom. curia plurimi episcopatus et abbatiæ jam non sunt penitus emulsæ, eversæ, deglubatæ? hodie adhuc multum clamatur contra luxum, pompam etc. episcoporum et prælatorum, contra divitias et opes cleri, regularis præsertim: ergo Vicelius falsum dixit, prædixitque

inposterum, et quidem cum injuria Pontificis et curiæ.

Ait Febronius : status Rom. Pontificum per annos mille ducentos et amplius sine annatis retentus fuit : his igitur nec modo opus erit. Captiosa et fallax argumentatio. Etiam status episcoporum et cleri sine annatis, et decimis etc. diu retentus fuit; num igitur his statibus illi opus non est? Dico itaque status Papæ et episcoporum sine annatis diu stetit, sed non sine subsidiis, si talibus egebant, et cum modo egeant, aut juste egere præsumantur, annatis tanquam subsidiis fruuntur, quæ etiam in Germania Rom. Pontifici per concordata sunt adpromissa. Et quid? num status Germaniæ per annatas sedi apostolicæ subsidium concessissent, si vel existimassent, vel persuasi fuissent, nullum verum titulum subesse, isto subsidio nec tunc, nec unquam egere Pontificem? an non eo tempore credebatur, hoc subsidium omnino necessarium esse, quando concilium Basileense, Papæ et curiæ Romanæ nequaquam propitium, nihilominus tale subsidium ita necessarium esse sensit, ut, annatis abolitis, Romanæ sedi per aliam viam subveniri debeat? ante annatas Pontifices aliis subsidiis fruebantur, nempe oblationibus, donis, censibus, tributis ex integris regnis, et a fidelibus frequenter ad limina apostolorum peregrinantibus. Taceo alia dona et subsidia a principibus, magnatibus, episcopis, ecclesiis oblata atque submissa.

Porro nec cardinalis Juliani ad nuntios Eugenii P. responsio rem totam exhaurit. Imprimis annatæ non in hunc solum finem petuntur, ut Rom. Pontifex pulsis injuste episcopis opem ferre possit : hoc tantum pro exemplo ponitur, ut ostendatur, Pontificem subsidiis non pro se duntaxat, sed pro aliis, et bono totius Ecclesiæ sæpe egere : sunt quippe et aliæ quamplures necessitates Ecclesiæ tum particularis Romanæ, seu sedis apostolicæ, tum universalis Ecclesiæ, ob quas expensas facere necessum est. Dein illis sanctis episcopis Athanasio etc. utique per annatas subventum non fuit : attamen si aliunde non habuissent Rom. Pontifices, nec modo haberent, unde succurrere possent, neque tunc illis episcopis, nec aliis modo subvenire in promptu foret. Vides, Julianum nihil ad rem respondisse.

Ad 6, 7, 8 et 9. Ut ad omnes querelas etiam post concilia Constantiense et Basileense exortas, contra annatas, cumulate respondeam, adduco verba D. Barthelii supra cit. loc. n. 4. *Porro licet repetitarum a S. R. J. ordinibus in comitiis maxime Norimbergens. anno* 1522, *et ab Imperatore Carolo V, in rescripto ad Hadrianum VI, P. commemoratarum adversus annatarum exactionem querimoniarum, minarum quoque de non dandis, nec extra regnum efferri permittendis annatis a Sigismundo Poloniæ Rege ex consilio optimatum anno* 1543 *intentatarum, non immemor fuerit concilium Tridentinum, ad quod*

pariter Henricus II et Carolus IX, Galliæ Reges suis oratoribus mandata dederunt, ut ejusdem auctoritate annatæ abolerentur : illas tamen S. synodus non improbavit, nec prohibuit, licet alias omnem mali et simoniæ speciem damnaverit, sanxeritque, ut episcopi, et eorum ministri nullum pro collatione ordinum, aut pro litteris dimissoriis et testimonialibus munus acciperent : notarii vero id solum possent exigere, quod eo decreto constitutum est. Tridentinis scilicet Patribus, doctissimisque theologis et canonistis, qui sacræ synodo aderant, exploratum erat, annatas reali et legitimo subventionis titulo exigi ab Ecclesia Romana, solvique ab episcopis et abbatibus designatis, ac proinde simoniæ vitio non laborare, quamvis eas de illo incusarent viri politici, re inspecta secundum externam speciem, non vero expensa ad ecclesiastici juris apices et theologiæ regulas. Quid juvat ergo veteres rursum excitare querelas, quas insufficientes judicavit S. synodus universalis, et a quibus dein destitêre ipsi Reges. Quod vero annatæ tantummodo ad bella Turcica concessæ sint, uti proceres imperii in comitiis, et Carolus V in epistola ad Hadrianum VI, commemorant, id verum non esse, Pallavicinus part. 1, l. 2, cap. 8, late ostendit, et Barthelius dissert. gen. de concordat. cap. 3, sect. 2, pariter ita habet : *verum cum Imperator et Germani proceres non satis viderentur sejungere annatas a decimis, quæ decimæ vere ad*

tempus modo exigebantur, et ad infideles debellandos : de annatis vero licet prolixe in concordatis disseratur, de bello Turcico nulla fiat mentio, et adeo non arctentur ad aliquid annatæ, ut eæ, e contra, colligendæ pronuntientur, donec ea constitutio in concilio generali consensione gentis Germanicæ commutetur, — — mirum nemini videri debet, quod commonitio ejusmodi, sive petitio suo frustrata manserit effectu, veluti concordatorum formæ minus consentanea.

Post hæc calculatorem agit Febronius, atque summam pecuniarum numerat, quæ a ducentis quinquaginta annis ex Gallia, item ex Lusitania et Germania Romam deportata fuit. Ad quid ista? ut lectori fucum faciat, nempe omnia regna emungi, ac Romæ ingentes thesauros coacervari. Non inquiro, quænam relationes fideliores sint : certe alii Gallicarum rerum non minus periti, longe minorem ducunt calculum. At hoc dico, tantum cumulum pecuniarum per annatas collectarum Romæ haud reperies : neque Roma nunc ditior est; igitur rursus expensæ sunt. In quos fines? non diffiteor, quandoque pecunias in sumptus non necessarios, in consanguineos etc. non bene impensas fuisse; nam etiam Ecclesiastici non minus ac laici bonis temporalibus abuti possunt. Attamen hìc quæritur non de uno, alterove singulari exemplo, sed quid ut plurimum actum fuerit. Audiamus autem de hac re domesticos auctores duos cardinales, Æneam

Sylvium et Pallavicinum (nam in re œconomica familiæ cujusdam, ubi de proventibus et sumptibus agitur, domestici testes præprimis audiendi sunt). Ille cancellarium Moguntinum Martinum Meyerum similia cum Febronio objicientem satis refellit, quod jam alibi adnotavimus. Hic vero in hist. concil. Trident. part. 1, l. 2, c. 8, præter alia tantummodo de bellis contra Turcas ait : *quotiescunque ea bella gesta fuerant, nunquam omiserant Pontifices valida Germanis subsidia suppeditare. Unde certum est, si multi simul anni connumerentur, Pontificis sumptus in hisce bellis annatarum proventum longe transgressos.* Sed hoc bellum etiam post Pallavicinum continuatum fuit. Certe Innocentius XI, totum ærarium exhausit, ut pecunias adversus Turcas large suppeditaret. Non addo, quantæ etiam collectiones a Rom. Pontificibus ex bonis ecclesiasticis ipsis principibus sæcularibus in hunc et alios fines concessæ? quoties decimæ et alia subsidia ab universo ordine ecclesiastico persoluta? cæterum, jam supra etiam ex Barthelio, ut alios taceam, retuli, in quos optimos fines talia subsidia Rom. Pontificibus subministrata expendantur, de quibus ait, *laudatissima exempla in summis Pontificibus, tam antiqua, quam recentia palam extare.*

Interim nemo ignorat, annatas a multo jam tempore in Germania et alibi nec tot, nec tantas esse, quales etiam in concordatis stipulatæ fuerunt. Palam est, post defectionem a religione

catholica Angliæ cum Insulis, Sueciæ, Norwegiæ, Daniæ, Borussiæ regnis, ac maxima parte Germaniæ, post tot sæcularisationes insignium certe archi- et episcopatuum, ecclesiarum cathedralium, collegiorum, abbatiarum, quæ ingentem numerum conficiunt, etiam per pacem Westphalicam confirmatas, Rom. Pontifici, in Germania præcipue, pariter ingentem summam de annatis, aliisque solutionibus decessisse, absque ulla compensatione facta; quare ergo non saltem proportionatim in tantum cessant antiquæ querelæ et objectiones, in quantum subsidia et solutiones cessarunt, atque imminuta sunt, quæ jure pactitio concordatorum stare debuissent?

Tandem ea historiuncula, quam auctor num. 8 refert, certe Febronio dignissima est. Quid enim de illo joco legati Cæsarei, archiepiscopos Moguntinum et Trevirensem Lutheri sectam amplexuros, nisi Papa Pallii taxam remittat? Febronius eum approbare videtur, quando verba Moguntini legati adfert, nempe jocum hunc equidem male verti posse, nihilominus efficacissimum id futurum remedium ad insinuandam Romanis moderationem. Siccine in re gravissima æternæ salutis circa religionem et fidem jocari licet? an ita in re tanta imponere licet suo superiori, non dicam, summo Pontifici? num serio hoc remedium, quantumvis tale foret, etiam honestum et conveniens est ad flectendum Rom. Pontificem? dicitur ibi etiam: *in Italia sunt archie-*

piscopatus, qui pro Pallio non solvunt ultra centum coronatos. At in Italia sunt archi- et episcopatus, quorum annui reditus sæpe illos unius in Germania canonici aut parochi non, vel vix adæquant : qualis igitur proportio, præcipue si cum archiepiscopis Germaniæ compares?

Ad 10. Ad hoc jam sæpius responsum fuit, Rom. Pontifices multoties promisisse, et jussisse, ut concordata observentur, etiam declarasse, se ea per suas constitutiones lædere nolle, si quæ tamen infractiones a Romanis factæ sunt, eas nimium exaggerari, atque ab Italis in vicem reponi, etiam concordatis in multis derogatum fuisse a Germanis, vel a summo Pontifice in favorem Germanorum, in concordatis non præcise stabilitum fuisse, ut concilium generale ad mutandas annatas et alternativas mensium celebretur, sed solum ut in eo de consensu utriusque partis mutari possint : tale concilium non serio, vel sine caussa peti, dum interim duo jam fuerunt concilia generalia, in quibus nihil immutatum fuit circa concordata : difficiliorem semper ad concilia viam sterni, non a Romanis, sed a politicis et iis auctoribus, qui per sua principia et sententias tendunt ad eversionem supremæ jurisdictionis et universæ potestatis hierarchicæ, quæ tandem potestati civili subesse et ancillari cogitur, uti in Febronio videmus.

Ad 11. Si verum est, quod de duobus Galliæ episcopis narrat Febronius, et de pluribus aliis,

de quibus non dubitat, tantundem fecisse, nempe quod post biennium nondum in suis dicecesibus resideant, non alia ex caussa, quam ut interim expensas bullarum Romanarum ex suorum episcopatuum fructibus recuperent; hoc, inquam, si verum est, excusari vix poterit, minime vero excusabile foret in Germania. Si enim juxta moderatam cameræ apostolicæ taxam *annatæ* non sunt fructus integri unius anni, sed vix dimidia pars, imo nec pars dimidia, ut ait D. Barthel. teste Wagnereck, sed quædam solummodo portio, quæ se habet ut unum ad quinque, v.g. si episcopales reditus ad centum florenorum millia ascendant, forsan viginti florenorum millia taxa erit; prout etiam ipse Claudius Fleury instit. jur. eccles. part. 2, c. 24, n. 4, testatur, *non tamen verum anni proventum, sed æstimationem veteris cancellariæ Romanæ involvunt.* Hinc nulla ratio subest, vel saltem solutio annatarum caussa esse non potest, quod episcopi Galli adhuc *post biennium* nondum in suis diœcesibus resideant, cum primo jam anno, etiam annatis detractis, reditus ultra dimidium, vel quatuor omnino partes, altero vero anno revera integros recipiant. Adde notissimum episcoporum Gallorum zelum, qui absque gravissima necessitate et caussa suas oviculas pastore non distituent. Igitur assertio Febronii de pluribus episcopis Gallis vel credibilis non est, vel alia longe ratio subesse debet.

Cæterum, tam moderata annatarum taxa, quæ

nec dimidiam proventuum unius anni, imo quintam solum partem constituit, iis, qui per annatas passim integros unius anni fructus intelligunt, facile persuadebit, gravamina, quæ contra annatas moventur, nimium exaggerari, et potius ad invidiam Rom. Pontificis lubenter reproduci; præprimis dum non nisi semel annata solvenda est, si contingeret, sæpius intra annum idem beneficium vacare, et ita quidem, ut pars ab antecessore necdum soluta in successorum haud transeat; quin, ut ulterius ait Barthelius, quod Pallii et annatarum taxæ subsidium interdum vel in totum, vel in partem ob merita in Ecclesiam vel belli ac temporum injurias condonetur. Illud etiam gravamen, quod modo annatæ solvendæ sint ante bullarum expeditionem, satis jam diluit laudatus Barthelius, citans Æneam Sylvium contra Meyerum Moguntinum, atque ipse Claudius Fleury l.c. hunc modum solvendi æquum esse judicat: *solvendæ* (annatæ) *ante expeditionem bullarum, quia difficulter exigi possent post possessionem arreptam.*

Porro cum Gallis non litigo, utrum annatæ in eorum concordato comprehendantur. Sufficit eos solvere titulo subsidii, quod supra vidimus. Nihilominus certum esse videtur, illas per sanctionem pragmaticam abolitas, per concordatum vero iterum resuscitatas fuisse, utique satis expresse: ad quid enim in concordato pro omnibus provisionibus beneficiorum Roma obtinendis

verus annuus proventuum valor exprimi jubetur, et quo alias tendant ista verba, si annatas non attingant? *Basileense concilium*, ait Fleurius loc. cit., *annatas damnavit, ejusque decretum insertum est in nostram pragmaticam : sed substitêre, licet ad beneficia consistorialia redactæ.* Si igitur, non obstante pragmatica sanctione, nihilominus substiterunt, si per concordatum solummodo modificatæ, seu restrictæ sunt, necesse non erat, eas expressius restituere.

Ad 12. Nulla observatione dignum est, minus alia occasione usum habere potest, quod concilium Basileense limites suæ potestatis excedens, quod proprie ad solum Rom. Pontificem spectat, usurpaverit, archiepiscopo Lugdunensi concedendo, ut Papæ vices supplendo, Hugoni Rothomagensi archiepiscopo Pallium largiretur. Sic enim D. Barthel. dissert. de Pallio c. 2, n. 7, ait: *utcunque aut decorum, aut necessarium fuerit explorare Imperatorum ac Regum antea voluntatem et assensum, non alia tamen magis, quam auctoritate apostolica Pallium communicatum fuit.* Et num. 10, postquam dixerat, sicut in republica summi principis est, politicas dignitates, ornamenta et insignia tribuere, ita et in Ecclesia ecclesiasticos honores, spiritualia jura, tesseras et symbola *neminem præter eum, quem Ecclesiæ universæ præposuit Dominus, recte elargiri.* Dein addit : *et cum Pallium de corpore D. Petri assumi hodie dicatur, quis alius præter*

summum Pontificem tanquam S. Petri successorem, atque ejusdem auctoritate dotatum dare illud poterit? Igitur vel sibi, vel aliis illusit concilium Basileense, quando contra voluntatem Eugenii Papæ, et propria auctoritate archiepiscopo Lugdunensi per diploma speciale concessit, *ut Pallium NB. de corpore B. Petri sumptum* (quod verum non erat) Hugoni traderet.

Equidem hæc omnia Febronio nondum sufficiunt, ita ut in posterioribus suis operibus contra annatas altius adhuc detonare pergat: necesse est igitur, ut eum in iis quoque convincamus. Videbimus porro, cassa esse fulmina, inanes clamores, falsa argumenta.

Imprimis Barthelium in appendice 1, num. 18, adducit. Sed Barthelium jam sæpe et hucusque audivimus Febronio plane contrarium: sed nec ibi cit. dissert. 3, c. 5, num. 29, nobis contrariatur. Dicit hoc loco, juris naturalis, divini et humani esse, Pontifici subvenire *indigenti, nec aliunde proviso.* Dicit dein, hanc necessitatem subveniendi portione Ecclesiæ Romanæ attributa, atque per ingentia patrimonia ab Imperatoribus aucta *cessare potuisse*, et dum aucta sedis apostolicæ majestati etiam aucta fuêre onera, sumptus, munera, officiales, ministri, adhuc dubitari posse, et dubitatum fuisse, an, quid, et quantum utilitatis in Ecclesiam ex singulis officiis, et multiplicato nimium personarum numero redundaret, aut quanta, qualisve sit illorum ne-

cessitas, et si quis absque consensu nationum et pacto accedente hunc *per annatas* subventionis modum non necessarium judicaverit, piaculum non fore.

Sed ista omnia quid contra nos? affirmat Barthelius Pontifici indigenti omni jure subveniri debere : idem et nos dicimus. Ait dein, dubitari posse, et dubitatum fuisse, utrum talis indigentia revera subsit? loquitur autem in hypothesi, quando nullus consensus nationum, prælatorum, aut pactum intercessit. Id neque nos in ista hypothesi diffitemur, quamvis temere et sine gravi ratione præsumendum non sit, quod summus Pontifex sine caussa, atque iniqua petat. At nos modo loquimur de annatis in eo statu, in quo nunc sunt, exiguntur que, nempe post concordata et consensum nationis, in quo statu Febronius eas adhuc abolitas esse vult : de hoc autem statu Barthelius loco a Febronio citato ait, *consensum nationis Germanicæ solemnius certe, quam in his ipsis concordatis publicis factum sit, exprimi non posse.* Dein quare Febronius mox subsequentia Barthelii verba omisit? *consensus porro istius a natione expressi ille est effectus maxime profecto notabilis, ut nunc subventio ista non indubitate duntaxat atque certissime, sed etiam ex justitia stricte dicta, atque commutativa sedi apostolicæ debeatur eo ipso, quod jure pactitio eadem obligatio nitatur.* Hìc bona fides Febronii desideratur, dum textum detruncavit. Si vero anna-

tæ nunc et post concordata ex justitia stricte debentur, utquid contra eas obmurmurat, et abolitas esse vult? Nec existimes, ante consensum procerum imperii, nullum fuisse cum legato Pontificio de indigentia Pontificis sermonem, cum tam ægre ad eas præstandas adduci poterant, et prius omnino tolli volebant; certe si nullam indigentiam agnovissent, utique non consensissent. Igitur hæc indigentia jam non solum præsumitur, sed revera adesse supponitur, modo saltem a nobis supra explicato.

Quod dein ulterius D. Barthel. loc. cit. n. 34, etc. de servitiis communibus, taxis annatarum diversis et auctis habet, qua de caussa a statibus Imperii sub Maximiliano I, querela obmota fuit, systema Febronii neutiquam adhuc comprobat. De servitiis communibus in concordatis dicitur: *solvantur de fructibus primi anni a die vacationis summæ pecuniarum in libris cameræ apostolicæ taxatæ*. De annatis statuitur: *solvantur annatæ, seu medii fructus juxta taxam solitam*. Ex his num. 49, ita concludit Barthelius. 1. *Quod annatæ istæ* (juxta concordata) *non quintam tantum partem, sed medietatem fructuum juxta taxam tamen solitam complectantur*. 2. *Quod taxa isthæc non æque fixa aut in matriculis annatarum, sive libris cameræ adnotata reperiatur*. Et cum olim fructus per collectores apostolicos exigebantur, nunc iis exclusis, in numerata pecunia ii medii fructus solvendi sunt; *unde taxæ solitæ nomine*

hic solam naturalem fructuum per collectores legendorum præstationem excludi velle, multum verosimile redditur.

Quamvis igitur annatarum et servitiorum communium taxæ diversæ sint, et quoad aliquos videantur nimium excessivæ, imo auctæ, ut adeo ipsimet concordantes Imperii status non plenam, firmamque in his taxarum libris fiduciam habuisse videantur, atque post concordata de nimio annatarum excessu adhuc querelæ innovatæ sint, imo has non inanes fuisse, exemplis ecclesiarum Argentinensis, Moguntinæ, Trevirensis comprobari existimet Barthelius; nihilominus dispiciendum est, utrum talis querela attingat taxam tempore concordatorum, vel post stabilitam, an vero illam, quæ diu ante facta fuerat, quam utique non respiciunt concordata, sed eam, quæ tempore concordantium in libris cameræ apostolicæ reperiebatur. Sic in gravaminibus anno 1510, pro Ecclesia Moguntina obtenditur taxa, quæ longissime ante concordata soluta videtur, et adhuc ante concordata aucta fuit. Sic enim ibi legitur: *Sedes Moguntina, ut dicitur, olim solum dedit decem millia florenorum. —— Tunc viginti millia florenorum, —— et ad nostram ætatem in singulis archiepiscopis exacta.* Hæc innuunt, diu ante concordata aliquando solum decem millia florenorum soluta fuisse. Sed quid interest? antea taxa varia, modo major, modo minor fuit. Hìc quæritur de taxa, quæ tempore

concordatorum in libris cameræ apostolicæ continetur. De hac dicit utique Barthelius num. 34. et alibi, quod *ex benigna sedis apostolicæ indulgentia qdeo moderata sit, ut quoad annuos proventus integros se habeat, ut unum ad quinque.* Etsi fors ista moderata taxa tunc adhuc major fuerit, quam olim solvebatur. Quod si tamen querendi locus sit, et ista taxa tum excessiva, vel nimium aucta visa fuerit, utique spondetur in concordatis *retaxatio*. Tandem in concordatis stabilitur, ut pro annatis solvatur media pars proventuum unius integri anni : *solvantur annatæ, seu medii fructus juxta taxam solitam.* Si ergo, ut supra concludit Barthelius, annatæ juxta concordata non *quintam* tantummodo *partem* secundum benignam sedis apostolicæ moderationem, sed omnino *medietatem fructuum* complectantur, et per *taxam solitam* solum parata pecunia, et exclusio collectorum atque præstationis naturalium fructuum intelligatur, tunc quamdiu taxa, etsi aucta et major, quam olim fuerat, *medios fructus* annui proventus non excedit, juxta concordata justa querela locum habere non videtur. Querelæ vero et exempla, quæ ante concordata movebantur, ad tempora post concordata applicari non valent, nisi post hæc ita durare comperiatur; hisce vero remedium ponitur *retaxatio.*

Exemplum palmare exhibetur ab adversariis in gravaminibus nationis Germanicæ de anno

1510, apud Goldastum constit. Imperial. tom. II, pag. 119. Quod olim sedes Moguntina pro annatis decem, dein viginti, post hæc viginti quinque, tandem viginti septem millia florenorum solvere debuerit. At si verum est, quod Hybnerus in sua geographia tom. III ait, nempe omnes primates in Europa, Bragensem in Portugallia, Toletanum in Hispania, Parisiensem in Gallia, Gnesnensem in Polonia, Granensem in Hungaria, Pragensem in Bohemia, simul sumptos non tot possidere proventus, quam unicum archiepiscopatum Moguntinum, cum tamen solus archiepiscopus Toletanus 350000 ducatorum numeret annuos proventus : hoc, repeto, si non dicam ex toto, sed pro dimidia solummodo parte verum est, tunc utique illa viginti septem millia florenorum, quæ sedes Moguntina solvere tenebatur pro annatis, non tantum a dimidio proventuum, sed etiam a quinta parte longissime absunt, sed nec quinquagesimam partem conficient, et si, ad querelam removendam, remedium *retaxationis* in concordatis oblatum, pactumque assumatur, certe alia summa prodibit.

Quare merito D. Barthel. dissert. *de Pallio* advertit, non omnia, quæ de talibus ad curiam Romanam præstationibus sparguntur et scribuntur, vera esse : *nec illa viginti quinque millia,* ait c. 11, num. 20, *pro Pallii redemptione, quæ passim per ora non bene sentientium, nec recte loquentium volitant, calamisque frequenter no-*

tantur , non concessionem Pallii solitariam , sed annatis conjunctam , et quidem non nisi in uno, alterove potentiori archi-episcopatu important.

Unde indignæ atque injuriosæ sunt irrisiones, sales, satyræ, quas Febronius in appendice secunda spargit, imo et ipsis ecclesiis cathedralibus ac monasteriis minus honorificæ, quasi in tot pinguibus episcopatibus et abbatiis post mortem episcopi vel abbatis consistorialis non tantum supersit, nec etiam absque gravi tributorum impositione in rusticos, cives et clerum, similibusque vexationibus reperiri possit, ut quinta, sæpe nec vigesima pars unius anni proventuum pro annatis solvi valeat, ut adeo trepidare mortem principis debeant, et execrari cameram apostolicam rustici, cives, quin et clerici. Pariter nimium exaggeratur , et a vero multum abesse creditur, quod ob solam hanc caussam, nempe tam moderatam respective ad integros annuos proventus taxam, semel et primo tantum anno solvendam depauperentur ecclesiæ, quod utique malæ administrationis et œconomiæ foret indicium.

Tom. II. *Flores sparsi.* pag. 470 , Febronius ait : *dum synodus* (Tridentina) *jam congregata sedet, et in ea agitur de tollendo abusu curiæ, — — tunc teste Pallavicino, legati Pontificis student ictum declinare, respondentes, id negotii, quod nec ad fidem, nec ad morum correctionem spectare dicunt, non a concilio, sed solum a Pontifice peragendum. Sic inter alia actum Tridenti, re-*

ferente eodem Pallavicino lib. 19, c. 1, n. 4, *dum de annatis abolendis quæstio proponebatur*. Profecto ex his verbis quis lectorum non credat, ista omnia publice in synodo congregata atque consessu dicta, actaque fuisse? sed falsus est Febronius; hæc dicta et acta sunt in primo et privato Lotharingi post suum adventum colloquio cum legatis Pontificis, quod ex eodem Pallavicino manifestum est. Dein sic ictum declinarunt legati suis responsis, ut Lotharingus, rationibus victus, tandem omnino cederet: *super annatarum negotio Fererio legati in memoriam revocarunt, eidem Romam a Rege jam ad id misso ostensum fuisse tam apertum jus, ut illud ipse comprobarit. Lotharingus vero confirmavit, a se die quodam auditum, illum fuisse in consilio idipsum comprobantem*. Cæterum, jam supra ex Barthelio ostendi, non immemor fuisse concilium Tridentinum querelarum, quæ a Gallis, Germanis, Polonis etc. contra annatas opponebantur, et tamen eas non improbasse, quin potius approbasse videtur. Citato tomo II, a pag. 488, Febronius, refutaturus Pallavicinum, ait, annatas nullo titulo et jure fundari, quia de his non extat in lege nova præceptum: non deberi Pontifici *ex jure sui primatus* potestatem in temporalia, quia hæc potestati principum sæcularium subjecta sunt: in concordatis Germaniæ non *pure et simpliciter, ac perpetuo* addici: in Gallia per sanctionem pragmaticam abrogatas in concordato non expresse,

uti fieri debebat, restitui : tandem titulum *honestatis et convenientiæ* non tribuere verum *jus*, neque fundare præscriptionem : rationes, quæ contra annatas militant, fortiores esse iis, quæ pro his adferuntur.

Verum hæc omnia a nobis jam satis diluta sunt : pauca in memoriam revoco. An nescit Febronius, Paulo annuntiante legis novæ præceptum? *qui in sacrario operantur, de sacrario edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant. Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? ita Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere.* Jam si summus sacerdos, summus pastor non sufficienter habet de suo altari, de quo suam familiam digne sustentet, an non de alio altari participare potest? an qui inferiorem clerum, ut gregem, pascit, de lacte gregis non manducet? an non filii parentibus, subditi suis superioribus jure naturæ subvenire, et necessaria subsidia præstare tenentur? num modus ille subveniendi, qui in veteri testamento inter inferiores sacerdotes et summum Pontificem divina auctoritate præscriptus fuit, in novo testamento sit abominabilis et iniquus? et ne accepto patrimonio Ecclesiæ Romanæ existimes, minus egere posse, aut plus abundare novi testamenti Pontificem, scias inter Romanæ Ecclesiæ patrimonium respective ad alias ecclesias nullam adhuc esse proportionem cum veteri summo sacerdote

respective ad alios sacerdotes et Levitas, et tamen Deus ita ordinaverat, ut non tantum nunquam egeret, sed potius plus omnibus abundaret.

Ad alterum dico : si temporalia ecclesiarum juribus sæcularium principum subjecta sunt : si summo sacerdoti nullum jus competit de iis disponere : quomodo tale jus Petro et apostolis competiit, ut, non petito consensu Imperatoris aut principis sæcularis, reciperent pretia ex venditis agris, domibus, prædiis, quæ fideles ad eorum pedes deponebant, atque ipsi has pecunias pro sua et aliorum necessitatibus dispensarent? qualiter Paulus in una Ecclesia collectas facere, et alibi dispertiri potuit? quid S. Laurentio et aliis sanctis tum episcopis tum ministris facies, qui thesauros Ecclesiæ Imperatorum etiam petentium et jubentium manibus subtrahebant? nunquid injuste olim *traditores* prima Ecclesia punivit? si dicas, illas voluntarias fuisse oblationes, atque in pauperum et sacrorum ministrorum usus conversas, quando necdum aliunde habebant, unde sustentarentur, tunc ad rem nihil respondes. Quippe nihilominus reipsa temporalia erant, quæ adhucdum principi sæculari subjecta sunt: igitur in tuo sensu non habebant apostoli jus de iis disponendi, imo nec sine consensu principis recipiendi. Dein quid bona ecclesiastica hodie in re aliud sunt, quam dona et oblationes? dum vero voluntariæ oblationes hodie cessant, imo saltem quoad bona immobilia, aut in majori

summa absque consensu sæcularis potestatis facere non licet, quod si nihilominus egeat clericus, Ecclesia, Papa, an non quod prius sponte oblatum fuit, nunc exigere possunt ab aliis ecclesiis, et quidem justo titulo subventionis, quæ summo Pontifici, tanquam primario sacerdoti et pastori universali præprimis debetur. *Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducet?* tali modo utique in pauperes (quales aliunde ab ecclesiis, et alii multi laici sustentantur) atque in ministrorum sacrorum usus bona Ecclesiæ convertuntur. Denique, si temporalia ecclesiarum sæculari potestati subjecta sunt, quomodo et quo jure Ecclesia, episcopi, concilia, summi Pontifices de iis propria auctoritate disponere, administrare, dividere, leges condere potuerunt? hæc primis quoque sæculis in Ecclesia facta fuisse, novimus. Igitur Febronii principium doctrinæ, sensui, praxi et disciplinæ veteris ac primæ quoque Ecclesiæ ad apostolorum usque tempora penitus adversatur.

In concordatis Germaniæ, annatæ promittuntur cum additione : *nisi in futuro concilio de consensu dictæ nationis aliter fuerit ordinatum*. Jungit Febronius : *itaque in Tridentino fuit tempus hanc materiam retractandi*. Revera ita est : sed mox carpit Pallavicinum, quod diceret lib. 19, c. 1, n. 4, *nunquam in eo conventu propositum fuisse, ut annatæ tollerentur*, cum tamen Lotharingus id proposuerit. Sed hem fallaciam viri! Lotha-

ringus Gallus pro Gallia, uti supra diximus, petiit in privato cum legatis colloquio annatarum remissionem. Quid Lotharingus cum concordatis Germaniæ? ostendat Germanos, et quidem in concilio hanc abolitionem petiisse. Pallavicinus autem loco citato Suavem dicentem, *Gallis placuisse, ut ex capite decimo quarto auferrentur annatæ, quanquam postea res aliter evenerit,* ita redarguit : *quod plane ridiculum est, cum Lotharingus, aliique complures apertis verbis eas reservarint, et nunquam certe propositum in conventu fuerit, ut illæ tollerentur.* Post hæc jam pigeat, Febronium et socios ejusdem, ex allegationibus adeo detortis, et male cohærentibus audacter pronuntiare, *Germanis plenum jus esse abstinendi imposterum a solutione annatarum.*

De annatis vero in Gallia supra jam dixi ad num. 11, quod sufficere possit. Et quamvis Rex Galliæ in mandato suis ad concilium Tridentinum legatis dato peteret abolitionem annatarum, concilium tamen ad hoc non attendit, Lotharingus quievit, imo *apertis verbis reservavit.* Pontifex vero, teste Pallavicino, cit. loc. *acerbe conquestus est, in Gallia rem adeo novam confectam cum suo et collegii detrimento adversus nationum omnium exemplum, adversus commune jus, et adversus ipsas pactiones.* Sed quænam sunt hæ pactiones, nisi ipsum concordatum? igitur in his annatæ restituuntur, secus Pontifex eas allegare non potuisset. Reliqua, quæ ibidem addit Fe-

bronius, tunc ego crediderim, quando mihi certum erit, eum cum suo D. Pasquier intima Romanorum sensa, et intentiones penetrasse, inspexisseque.

Titulus *honestatis* et *convenientiæ* per se non fundat jus, præcipue quando in mera politia versatur. Sed quid si honestas et convenientia in obligatione inferioris erga superiorem fundatur, quin et aliunde jure maxime naturali fulcitur? uti jam probavimus. Quæ interim annatis opponuntur, partim falsa sunt, vel a scopo aberrant, partim modum exigendi et solvendi attingunt, quibus omnibus responsum jam fuit.

Tom. III, tit. 6, § 2, auctor se ad priora refert, jam cocta iterum recoquendo, aitque, annatas non deberi vigore *concordatorum*, neque *de jure communi*; hoc quippe idem hodie esse, quod fuit tempore conciliorum Viennensis et Constantiensis : quæ autem ibi fuerit de annatis sententia, colligi ex Durandi *tract. de modo celebrand. concil. gener.* part. 2, tit. 20, et ex responsione nationis Gallicanæ Constantiæ contra appellationem cardinalium etc. data.

De concordatis tum Galliæ tum Germaniæ mox et alibi jam respondi. Febronius sæpius urget illam clausulam concordatis Germaniæ in duobus punctis *de alternativa mensium*, et *de annatis* additam, *nisi in futuro concilio de consensu nationis aliter fuerit ordinatum*. Unde concludit, quia promissa singulis decenniis convocatio con-

ciliorum juxta decretum *frequens* a Papa negligitur, sicque concordata non observantur, ideo omnia ad terminos concilii Basileensis reducenda esse, et Germanos non amplius teneri ad solutionem annatarum.

At jam dixi : duo interim concilia generalia ab ortu concordatorum, Lateranense V et Tridentinum celebrata sunt, et nihil in his punctis fuit immutatum, neque ut immutetur, cum natione Germanica tractatus habitus fuit, quin et falsissimum est, quod Febronius ait, Romanos talem tractatum declinasse, cum ibi de hac materia, teste Pallavicino, quem ipse adducit; soli Lotharingo et oratoribus Galliæ cum legatis Pontificis fuerit sermo. In illis ergo conciliis fuisset tempus et locus de hac materia tractandi, et tamen tractatum non fuit. Romani tractatum non declinaverunt, quia, ut dixi, a natione Germanica petitus non fuit, et si serio petitus fuisset, Romani declinare non potuissent. Quid igitur hunc in finem plura petis concilia? num quando et quotiescunque Germanis placuerit, totus orbis, et omnium nationum episcopi coire debent, ut fiat concilium generale, non alia de caussa, quam ut ibi cum Romanis litigent, utrum, et qualia Rom. Pontifici velint præstare subsidia? sed de decreto *frequens* infra redibit sermo.

Interim adhuc quæro : qualia Febronius petit concilia? an tale, quale Constantiense fuit ante electionem Martini V, nempe conventum natio-

num et laicorum potius, quam episcoporum? sed tali non indiget Ecclesia extra casum schismatis inter plures dubios Pontifices. Vel quale Basileense fuit, seditiosum et schismaticum? sed tale potius abominandum, quia plus nocet, non autem prodest Ecclesiæ. Vel denique tale, quale Nicænum, Chalcedonense et alia vere œcumenica fuerunt, in quibus dictum fuit : *foras mittite superfluos, concilium episcoporum est* : vel ut, teste Ruffino lib. 1, Constantinus M. ad Patres Nicænos dixit : *vos estis Dii, non est conveniens, ut homo judicet Deos* : vel ut Theodosius Imp. ad synodum Ephesinam scripsit : *nefas est, qui sanctissimorum episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus sese immiscere.* Sed tale concilium Febronio et multis aliis hodie non arridebit. Igitur cesset clamare concilia, et summum Pontificem accusare, quia hic juxta canones aliud, nisi verum atque legitimum episcoporum vere catholicorum concilium dare aut convocare non potest.

Quod ait *de jure communi*, fateor, idem semper fuisse, quamvis annatæ non semper fuerint, nec in antiquis canonibus exprimantur. Semper enim fuit in Ecclesia titulus subsidii et subventionis, ita ut etiam in divisione bonorum ecclesiasticorum pars pauperibus assignata fuerit : multo magis hæc obligatio tenebat, quando clericis, ecclesiis, episcopis subveniendum erat;

cur autem tale subsidium summo Sacerdoti denegetur, quod posterioribus temporibus per annatas determinatum fuit. Durandi locus huc non pertinet, et nequicquam de annatis agit, aut de his intelligi debet, uti advertit Barthelius dissert. 3. cap. 5. n. 10., cum annatæ titulo *subventionis* exigantur, recipianturque. Attamen contra munera recipientes ab ordinatis aut confirmatis non solum Durandum, sed et plures alios, atque ipsos summos Pontifices adducere potuisset Febronius; quippe hi non alio sensu, fine, et caussa illa recipi intelligebant, quàm pro ipsa sacra ordinatione, gratia et re spirituali. Cæterum, in concilio Viennensi contra annatas nihil actum est: in Constantiensi quidam censebant, titulum subventionis non subsistere, et ideo potius recipi pro gratia spirituali, hinc ut simoniacas accusarunt, et natio præcipue Gallica eas omnino abolitas esse voluit; at pariter nihil actum fuit, quin insigniores ex ipsis Gallis, uti Alliacensis et Gerson annatas vindicarunt. Barthelius dissert. prælim. de concord. Germ. cap. 3. sect. 2. n. 2. in hanc rem ita habet: *De annatis acriter disputatum fuit in concilio Constantiensi, urgente præsertim natione Gallicana. Cardinalis Pisanus, Cameracensis et Florentinus a concilio delegati una cum deputatis quinque nationum —— annatas et minuta servitia velut legitimo jure debita conati sunt vindicare, et licet major pars delegatorum illas abolendas esse censerent, cardinales tamen obstite-*

runt, ne sententia concluderetur. Congregatione soluta, deputati nationis Gallicanæ moleste ferentes, non satis strenue certari ad eas abolendas, privatim ipsi coierunt, et, habita consultatione, penitus tollendas esse censuerunt. Joannes de Scribanis, procurator fiscalis cameræ apostolicæ appellavit ab hac deliberatione ad Papam futurum, eidemque appellationi adhæsêre cardinales. Ita factum est, ut nihil de annatis in concilio Constantiensi definiretur. Sess. 40, *in medium prolata sunt capita multa reformationis, et illud potissimum de annatis, communibus servitiis et minutis. Hæc proponebantur, ut de iis consilium inirent cum futuro Pontifice concilii Patres.* Sess. 43, *electo jam in summum Pontificem Martino V, plurima quidem egregie constituta sunt de cæteris disciplinæ expurgandæ capitibus. De annatis altum fuit silentium, quo usus prior confirmari videbatur.* Quinimo, haud obstantibus Gallis, non solum contra annatas nihil decisum fuit in eodem concilio, sed ibidem in concordato cum natione Germanica inito ad quinquennium apertis verbis sunt confirmatæ, quod concordatum sess. 43 in fine approbatum fuit. Vid. Barthel. dissert. 3, cap. 5, num. 17, etc. Ex his jam patet, quis in concilio Constantiensi de annatis sensus fuerit? equidem jam ante hoc concilium annatas solvere a Carolo VI, Galliæ Rege, prohibitum fuit: sed hoc non substantiam subsidii, sed formam et modum exigendi annatas contingit, qui tum

injustus, et quodammodo simoniacus videbatur; quippe inter caussas hujus prohibitionis affertur, quod *in annatis exigendis, sicut nec modus, sic nec misericordia, nec æqualitas servatur aut mensura*. Annatas vero quoad substantiam et titulo subventionis injustas et simoniacas esse, a doctioribus saltem, et rerum gnaris tum nequaquam creditum fuit, secus non modo concilium eas prohibere debuisset, sed ne ex Gallis quidam, uti Alliacensis et Gerson, eas ab hac labe vindicassent, minus obstante adhucdum edicto Regio, et altero parlamenti de anno 1418, item mox anno proxime insequente 1419 in Gallia nihilominus exactæ, atque solutæ fuissent, sicque earum usus corroboratus fuisset, uti testatur Spondanus ad ann. 1420.

Sed nunc iterum ad concilium Basileense, quod adversarii sæpe objiciunt, progrediamur. Hoc sess. 12, annatas abolere videtur, sed non nisi sub conditione, ut summo Pontifici et curiæ Romanæ de sustentatione aliunde provideatur, et si provisum non fuerit, medii fructus, seu annatæ adhuc solvantur: *Pro oneribus autem, quæ ipsum* (Papam) *pro regimine universalis Ecclesiæ, subire oportet, proque sustentatione S. R. E. cardinalium, et aliorum necessariorum officialium hoc sacrum concilium ante sui dissolutionem omnino debite et congruenter provideat. Quod si contingat, aliquam circa hæc provisionem non facere, tunc illæ ecclesiæ et beneficia,*

quæ usque nunc ex novi prælati assumptione certam taxam solverint, deinceps medietatem hujusmodi taxæ per annum post adeptam pacificam possessionem solvere in partibus teneantur, duratura ejusmodi provisione, donec Papæ et cardinalium sustentationi fuerit aliter provisum. Ex his manifestum est 1. Concilium Basileense, quod summis Pontificibus et curiæ nimium favisse nullibi visum est, haud credidisse, quod patrimonium Ecclesiæ Romanæ cum omnibus Imperatorum et Mathildis donationibus sufficiat pro congrua et honesta sustentatione Pontificis, cardinalium, atque *necessariorum* officialium, nisi aliunde provideatur. 2. Supponere, hanc provisionem esse necessariam et obligatoriam, ut a reliquo clero et ecclesiis impendatur, secus in defectu alterius provisionis non obligasset ecclesias ad medios adhuc fructus et taxas solvendas: *medietatem hujusmodi taxæ solvere teneantur.* 3. Non tam voluit abrogare annatas, quam hanc præstationem nationibus odiosam in alium subventionis modum commutare; quippe non modo aliam subventionis viam promisit: *concilium omnino et congruenter provideat*, sed nulla facta alia provisione, prout revera facta non fuit, annatas durare jussit: *medietatem* taxæ solvere teneantur, *duratura ejusmodi provisione, donec Papæ et cardinalium sustentationi fuerit aliter provisum.* Igitur rebus in eodem statu permanentibus, annatæ saltem quoad substantiam non solum confirmatæ, sed et præceptæ sunt.

Post hæc sess. 21, annatæ severius prohibentur, nulla amplius conditione adjecta; verum, ut scite advertit Barthelius, et necessario præsumi debet, per istud decretum supponitur, vi decreti sess. 12, quocum omnino conciliari debet, jam assignatum fuisse, aut mox assignandum fore fundum alium, et uberem, aut sufficientem saltem proventum ad onera curiæ Romanæ, cardinalium, ministrorumque expensas, secus, hac conditione exclusa, pugna foret fœdissima, et manifesta conflictatio decretorum concilii, vel concilium per ultimum decretum in suspicionem vindictæ atque invidiæ in Rom. Pontificem manifeste trahi posset. Imo concilium se ipsum damnasset, quando postea NB. sess. 42, Felici Pseudo-Papæ ad sui et cardinalium sustentationem propria auctoritate assignavit quintam partem proventuum ex omnibus episcopatibus, abbatiis, dignitatibus, et quibuscunque demum beneficiis per quinque proxime sequentes annos.

Denique cardinalis Julianus, qui, teste Febronio, os fuit concilii, ad oratores Eugenii IV, synodi nomine circa hoc decretum sensum et intentionem concilii his verbis expressit : *ab omni calumnia nostrum decretum defenditur. Per ipsum enim non interdicitur, quin pro vitæ sustentatione, aliisque necessitatibus summus Pontifex, aliarumque ecclesiarum episcopi charitativum subsidium indicere, decimam, seu aliam quotam imponere, fructusque aliorum beneficiorum ad*

tempus reservare, vel alias subventionum species petere possint. En! summo Pontifici eædem exactiones, quæ episcopis, asseruntur, et quidem titulo subventionis. *Quanquam autem sic decrecretum sit, et bene decretum, non tamen adhuc auditum est, quod hæc sancta synodus nolit sedi apostolicæ dignam et competentem facere provisionem.* Igitur hæc conditio necessario in decreto subintelligi debet. *Veluti in corpore naturali reliqua membra suo capiti necessaria provident, ut vitæ et sustentationis influxus ab illo in ipsum descendat: sic quidem æquum est, et rationi consonum, ut Ecclesiæ per orbem diffusæ summo Pontifici, suisque pastoribus indigentibus, ut ab his salubriter regantur et gubernentur, necessariam subventionem porrigant.* Vide æquitatem et necessitatem subveniendi, sive dein per annatas, sive alio modo fiat. *Quoniam etsi pro vitæ sustentatione et aliis justis necessitatibus pastoribus Ecclesiæ jus commune, naturale, divinum et humanum provisionem facere jubeant, modum tamen justum, nec illum saltem pro semper præcipiunt.* Febronius supra quærit *de jure communi*, hic commune naturale, divinum et humanum, ideoque justitia simul et obligatio allegantur: attamen petitur *modus justus. Quanquam autem modus exigendi usitatus sit in Ecclesia, si tamen onerosus, aut abusivus esse incipiat, nulli negare fas est, quin modum illum Ecclesia possit in alium leviorem vel honestiorem conver-*

tere. Ea autem, quæ pertinent ad vitæ sustentationem seu utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ, quæ quidem de jure naturali et divino esse fatemur, neque abstulimus, neque auferre licitum videtur. Igitur non id, quod per annatas intelligitur, seu non annatæ per se ipsas, sed propter *modum* et *abusus* in his factos, in concilio abolitæ sunt, neque Febronius amplius de jure quærat, quod est naturale atque divinum. Adverto etiam, si annatæ, quoad substantiam, improbatæ, atque abrogatæ fuissent, id quoque de annatis quas episcopi ex inferioribus beneficiis levant, exiguntque, dici deberet, quia Julianus de subventione Pontifici et episcopis facienda pari modo loquitur. Porro ex omnibus prædictis liquido constat, quis tum in conciliis Viennensi, Constantiensi, tum etiam Basileensi de annatis sensus fuerit?

Posthæc invalida omnino sunt ea omnia, quæ tandem Febronius tom. IV, dissert. 7, cap. 2, num. 11, etc. etc. et dein dissert. 9, cap. 3, artificiosa evolutione concludit, quia ea partim falsa sunt, partim falso supposito fulciuntur, aut aliunde ad rem non pertinent, referendo eorum auctorum querimonias, qui annatas non sub eo fine et caussa, sub qua petuntur, solvunturque, intuentur, sed longe alium finem et colorem affingunt; quippe qui neque cum Gallis Petro Alliacensi et Gersone in concilio Constantiensi, neque cum cardinali Juliano in

Basileensi synodo loquuntur. Falsum enim est, quod concilium Basileense *jus* annatarum cassaverit. Falsum est, ut Thomassinus, Barthelius, aliique advertunt, quod in concordato Aschaffenburgensi annatæ tantummodo in subsidium belli Turcici promissæ sint, quia ibi de hoc nec verbum legitur. Et profecto si in hunc finem annatæ a Germanis promissæ fuissent, necessario debuisset hæc conditio exprimi, quia in pacto seu contractu præcipue oneroso utique verba non plus operantur, quam sonant, et dum annatæ per se in usum Pontificis convertuntur, si ex pacto in alium usum destinatæ fuerunt, tunc de substantia contractus fuisset, hunc finem et conditionem in pacto exprimere.

Putat Febronius, nationem Germanicam suam de annatis intentionem, etsi in Aschaffenburgensi concordato conceptis verbis non exprimatur, nihilominus apertius declarasse, eidemque sine interruptione inhæsisse, quando post obitum Nicolai V, electores ecclesiastici cum episcopis Germaniæ conventum agebant de constitutione Imperii pragmatica, *ne quid pecuniarum ad Romanam curiam deferatur*. Dein quando anno 1500, sub Maximiliano I, anno 1522, sub Carolo V, item anno 1530, tandem sub Ferdinando I, anno 1563, status Imperii aperte dicunt, annatas tantum ad expeditionem Turcicam concessas fuisse. Ideo Febronius concludit, credi non posse, adunatum in comitiis Imperium tam aperte et per-

severanter hanc suam mentem declarasse, si ea inde a sua orgine alia fuisset, neque curiam ad tot declarationes siluisse, si earum veritatem et justitiam non agnovisset. Miratur quoque auctor concordatorum Germaniæ integrorum tom. III, pag. 178, privatos hodie scriptores sustinere, annatas non fuisse ad expeditiones Turcicas destinatas, quasi novelli hi doctores melius noverint, quid in acta Imperii publica anno 1448 et 1457, relatum sit, quam omnes Imperii status anno 1500, quorum plures de visu et auditu eorum testari poterant, quæ ante 50 annos acta fuerunt.

Verum per hæc adhucdum nihil agit Febronius. Imprimis illa petitio electorum ecclesiasticorum cum episcopis Germaniæ effectum non habuit, quia Imperator non consensit, et concordatis solenniter pactis directe adversabatur. Dein notum est, ab anno 1500 in comitiis Imperii plurimos status Protestantes fuisse, qui in suo sensu Papam cum omni primatu et auctoritate ex tota Ecclesia extirpatum esse volebant, et ideo mirum non est, quod ei omne subsidium subtrahere, et ipsa concordata aboleri adniterentur; huc eorum gravamina sæpius mota tendebant, quibus quandoque catholici quidam privatis commodis et rationibus ducti assentiebantur. Tandem quod obtendebatur, annatas solummodo ad bella Turcica concessas fuisse, in hoc certe fallebantur proceres Imperii, vel potius

non satis diserte loquebantur. Quippe mirari desinet auctor concordatorum integrorum, et tam fidenter concludere Febronius, quando his cum D. Barthelio dissert. 2, de concord. cap. 3, sect. 2, num. 12 respondeo : *verum cum Imperator et Germani proceres non satis viderentur sejungere annatas a decimis, quæ decimæ vere ad tempus modo exigebantur, et ad infideles debellandos; de annatis vero licet prolixe in concordatis disseratur, de bello Turcico nulla fiat mentio, et adeo non arctentur ad aliquid annatæ, ut, e contra, colligendæ pronuntientur, donec ea constitutio in concilio generali consensione gentis Germanicæ commutetur, — — mirum nemini videri debet, quod commonitio ejusmodi, sive petitio suo frustrata remanserit effectu, veluti concordatorum formæ minus consentanea.* Decimæ igitur, tunc temporis concessæ, ad Turcas debellandos destinatæ erant, et bello cessante, etiam cessare debuerunt: de annatis autem adhuc verum manet, quod in bellum Turcicum non fuerint a compaciscentibus destinatæ, secus id exprimi, et in hunc finem convenire debuissent. Imo eo ipso, quod annatæ tamdiu concessæ fuerint, usque dum in concilio aliquo generali commutentur, perspicuum est, et terminum et finem non esse bellum Turcicum, quia interim hoc vel omnino non geri, vel cessare potuit. Idem D. Barthel. dissert. 3, cap. 5, n. 31, ex epistola Caroli V, ad Adrianum VI P. ostendit, Imperatorem non

dicere, quod annatæ *unice* ad bellum Turcicum concessæ sint, nec quod idcirco ad concordata provocet, sed has a Papa pro bello Turcico omnino *ex fonte benignitatis et munificentiæ clementer ad quadriennium concedi et indulgeri summopere rogat.* Verba hæc sunt epistolæ Caroli V.

Quod si vero post concordata status Germaniæ adhuc aliquid de annatis inter se statuissent, non proinde Pontifex obstringeretur, qui contra pactum antecedens nec eorum decretis consenserat, ut ait Pallavicinus, et de quo nec ejus consensus quæsitus fuerat. Interim falleris, si putas, Romam ad tot declarationes siluisse : de contrario responsa nuntiorum et litteræ Pontificum ad Imperatores te convincent.

Mox aliam et tritam sibi viam ingreditur Febronius ad probandum, solutionem annatarum in Germania, nec ipsa concordata amplius obligare; nam ait, etsi Germani in concordato de annatis in expeditionem Turcicam vertendis non cogitassent, et postea primum animum mutassent, id bono jure fecissent, nec contra fidem concordatorum, quia in concordato annatæ tantum addicuntur usque ad tempus futuri concilii : concilium Constantiense per decretum *frequens* statuit, ut singulis decenniis concilium generale celebretur, quod decretum Eugenius IV et Nicolaus V probarunt; igitur, exspirato termino, et non habito concilio, concidit obligatio, et Germani ab observatione concordati soluti sunt.

Verum hæc ratiocinatio Febronii neque cum actis publicis, neque cum honore et fide Germanorum statuum cohæret. Si, ut prius voluit, annatæ ad bellum Turcicum destinatæ fuerant, quare terminus futuri concilii, et non finis belli ponitur? num sciebant, vel volebant tum proceres, bellum cum Turcis ad decennium usque, nempe ad futurum concilium continuari? et si prius finiretur, in quem finem tunc annatæ destinari debebant, cum Pontifici saltem usque ad futurum concilium addicerentur? ex ipsa clausula *futuri concilii* jam advertis intentionem concordantium procerum non fuisse bellum Turcicum. Dein si Germani primum postea animum mutaverunt, et quidem ex eo fundamento, quod tempus futuri concilii exspiraverit, quare non hanc rationem, et quidem in actis publicis allegaverunt, ut ostendant, se solutos a lege annatarum? quare potius aliam rationem, nempe expeditionem Turcicam finxerunt? taliter Germana et totius nationis fides prosternitur.

Interest etiam, ut fallaciam interpretationis et ratiocinii, quam de addita clausula committit Febronius, accuratius rimemur. Verba clausulæ hæc sunt : ***duretque hæc observantia deinceps, nisi eam similiter in futuro concilio de ipsius nationis consensu contingat immutari.*** Jam quæritur, quisnam sit sensus hujus clausulæ, et quæ fuerit intentio concordantium, præcipue Germanorum? vel enim per *futurum concilium*

intelligitur *præcise* concilium juxta decretum *frequens* mox post decennium celebrandum, vel solummodo *proxime futurum*, quocunque dein tempore congregandum, vel denique *qualecunque futurum* sive proximum, sive posterius aliquod, ita ut in quolibet, et quovis tempore aliter ordinari possit? Febronius stat pro primo; ait enim: *nemo tam hebes erit, qui non prima fronte judicet, ad hoc* (intra decennium celebrandum) *non ad illud* (post integrum sæculum celebratum) *paciscentium animos intendisse.*

Ast imprimis in concordato nequaquam stabilitum fuit, ut præcise ob hanc caussam, nempe ad aliter ordinandum circa annatas intra decennium concilium debeat convocari. Dein pone, post decennium concilium celebratum fuisse, attamen circa annatas nihil aliter ordinatum (quod utique facile contingere potuit, uti et postea contigit) tunc Germanis ligatæ fuissent manus, ut in alio concilio immutationem non amplius petere potuissent, quia conditio et alia ordinatio præcise ad hoc concilium etiam ex mente compaciscentium restricta erat, sicque, absque spe immutationis, annatas perpetuo solvere tenerentur. Verum credibile non est, quod Germani sibi talia vincula injicere voluerint, quin potius ex eo, quod non celebrato post decennium concilio, annatas adhuc solvere perrexerint, neque gravamen, quod tamen elapso termino indies ingravescere debuisset, in proxime futuro

Lateranensi V, aut Tridentino obmoverint, palam sequitur, quod concordantium intentio *præcise* ad concilium post decennium celebrandum restricta non fuerit.

Si vero per clausulam intelligitur unice concilium *proxime*, quocunque dein tempore, futurum, idem sequeretur, nempe post Lateranense aut Tridentinum, ubi in hac observantia nihil aliter fuit ordinatum, non amplius superesset remedium, in alio concilio providendi, cum terminus medendi jam præteriit; ideoque vanæ atque injustæ forent querelæ omnes, quas abhinc in hac parte Febronius et quidam politici movent.

Igitur verius atque Germanis multo favorabilius credendum est, per illam clausulam intelligi qualecunque posterius concilium, ut ipsis semper remedium providendi pateat. Ex quo sequitur, quod terminus concilii elapsus nondum sit, nec unquam elabatur, sed et pariter sequitur, quod nondum elapso termino concilii Germani ab obligatione solvendi annatas soluti non sint. Hinc ruunt, et injustæ sunt quærimoniæ Febronii et modernorum politicorum, qui eas ex fallaci hujus clausulæ interpretatione desumunt, eidemque tanquam certo fundamento superstruunt.

Inquies : etsi dicta clausula non præcise de celebrando post decennium concilio, sed de quocunque intelligi debeat, tamen Romani ad-

huc continuo peccant in concordata, et de horum infractione rei habentur, quia non observant decretum *frequens*, et ideo ab obligatione concordatorum liberi sunt Germani.

Respondeo : Febronius prius ostendere debet, penes solos Romanos stare, ut hactenus non observetur decretum *frequens*, neque hujus observantiæ aliunde obstacula poni posse, vel posita fuisse. Concilium Constantiense decretum *frequens* non alio fine et intentione condere potuit, nec etiam condidit, quam sub ea, quod ista concilia sint vel necessaria, vel saltem utilia toti Ecclesiæ : quod his celebrandis a nationibus et principibus nulla sint obstacula ponenda : quod denique decreta horum conciliorum a nationibus et statibus sint amplectenda, observandaque. Quod si una horum conditio deesset, aut concilium prævidisset non adfuturam, sane illusorium et irrationabile fuisset decretum. Ad quid enim concilium vel decretum inutile? cur nationes petant concilia, quæ tamen ut sint legitima et vere generalia, vel ut omnino non fiant, ipsæ dein pro voluntate impediant, aut tandem eorum decreta non observent? hæc certe sensui atque spiritui legis, seu decreti *frequens* palam adversantur. Sed jam Eugenius IV, a natione Germanica interpellatus, ut concilium generale celebraret, sensit, ostenditque, se hactenus ab hoc impeditum fuisse, præprimis quod non omnes Reges et principes consentirent : dein in

solo Tridentino experientia didicimus, quantæ difficultates, obstacula et remoræ sint vincendæ, ut licet, petente una natione, aliæ quoque in celebrationem concilii generalis consentiant, atque episcopi in unum conveniant, ita ut unius principis vel nationis politica status ratio totum, quod sperabatur bonum, suo frustraret effectu. Exemplum quoque habemus notissimum, quod decreta Tridentini reformatoria (ob quæ concilium Constantiense maxime urgebat, statuitque decretum *frequens*) non sint acceptata et observata per obtentum, quod juribus regni non convenirent, quanquam totus clerus contestatus fuerit, ea Ecclesiæ maxime convenire, utilia, ac salubria esse, neque juribus regni nocumentum afferre. Quid? si hodie publice docetur, defenditurque, decreta concilii generalis in materia disciplinæ nullibi obligare, nisi ultro acceptentur, etsiamsi bono Ecclesiæ forent utilia, tamen cum bono status commensuranda esse, sicque cedere debere bonum Ecclesiæ bono politico status? imo si adhuc ulterius prætenditur, prout hodie a pseudocanonistis et politicis fit, disciplinam Ecclesiæ externam, excepto solo dogmate, et re pure spirituali, sic statui politico subesse, ut hic illam propria auctoritate mutare, reformare, derogare possit? An non in his principiis latet manifesta contradictio cum decreto *frequens?* An non istud decretum per tales sententias non tantum redditur superfluum, sed ipsum cum

conciliis quoque omnì vigore et auctoritate despoliatur? utquid urgetur decretum *frequens*, quod hodie amplius in systemate Febronii nec utile, nec opportunum, imo difficulter possibile est, nec ipsum plus quam concilia valet, dum id, quod istud decretum in conciliorum potestate esse supponit, jam modo in potestate civili repositum esse creditur? Frustra ergo et sibi ipsi contradicendo per omissionem illius decreti in concordata peccari querulatur, si res ista ad potestatem Ecclesiæ, ad Pontificem et concilia non pertinet.

Tandem posito etiam, ob non servatum a Romanis decretum *frequens*, ad concordata non amplius ligari Germanos, solutos esse ab obligatione solvendi annatas: quid jam sequitur? nempe sublatis concordatis, omnia iterum in pristinum statum, quo fuêre tempore concilii Basileensis, reducenda esse, scilicet ad statum seditionis, rebellionis, schismatis atque inobedientiæ. Bellum consilium! hoc tamen advertendum, etiam tum Germaniam ab omni onere præstandi Rom. Pontifici subsidium haud liberam fore; siquidem concilium Basileense expresse statuit, ut, ablatis annatis, sustentationi R. Pontificis et curiæ aliunde provideatur, et donec aliunde provisum fuerit, adhuc taxæ seu annatæ solvantur, uti supra demonstratum fuit. Nihil ergo suo ratiocinio lucratur Febronius, sed rem potius in pejorem statum redigit.

Duo adhuc sunt, quæ passim ab adversariis opponuntur, et de quibus aliquoties jam mentionem fecimus, nempe priores pontifices et curiam sine annatis se sustentasse, proin et nunc iis non indigere : dein nimis magnam pecuniæ summam esse, quæ per annatas Romam deportatur. Sed paucis adhuc respondeo his viris, quos vel gravis invidia urit, vel habendi cupido fascinavit. Inter alia haud ignorabunt, pristinis temporibus a laicis, clericis, episcopis, magnatibus quoque ac regibus frequentissima itinera tum peregrinationis, tum negotiorum caussa Romam, et ad limina apostolorum suscepta fuisse, qui oblationes et amplissima dona illuc ferebant, quin et integra regna fuisse, quæ Rom. Pontifici quasi tributaria facta sint, atque singulis annis censum illuc mittebant. Hæc omnia annatas, quæ tantum semel in vita unius beneficiati solvuntur, certe non modo æquabant, sed superabant. At nunc ista omnia cessarunt; non ergo modo per annatas ditior factus est, aut minus eget Rom. Pontifex. Si fusior esse vellem, possem eos etiam ad Ecclesiam Græcam avocare, et ostendere, quid suo patriarchæ olim penderit clerus.

Ad alterum dico : tempore concilii Basileensis, quamvis Pontifex ea omnia patrimonia, quæ nunc, jam possederit, nihilominus visum est, ut demptis annatis, eidem et curiæ de congrua sustentatione alia via et modo prospiciatur : tem-

pore vero concordatorum insuper habita quoque ditionum temporalium accessione jam tum, et longe antea illi facta, nihilominus annatæ in provisionem illi posthac ordinandam promissæ fuerant; proin tum creditum non fuit, Pontificem iis omnino non indigere, vel nimiam summam esse, si nempe annatæ juxta moderatam in concordatis taxam solvantur. Attamen modo nec ista summa secundum concordata solvitur : multa enim ab hac decesserunt, tum quod beneficia minora et plurimi canonicatus annatas Pontifici omnino non solvant, tum quod per Lutheri et Calvini hæresim, atque etiam per pacem Westphalicam multi pingues archi- et episcopatus, abbatiæ et canonicatus fuerint sæcularizati, qui pariter Rom. Pontifici annatas et alias taxas non pendunt, imo etiam annatæ quarumdam abbatiarum et beneficiorum a Pontifice episcopis cessæ fuerint, ut modo ea, quæ eidem in concordatis a natione Germanica adpromissa fuerunt, magna ex parte non amplius recipiat. Hinc bene ait Barthelius dissert. 3, de concord. cap. 5, n. 30. *Ditior certe hactenus effectus non fuit summus Pontifex, quin potius caussæ certissimæ suppetunt, ut plurimum ex illo ævo Pontificibus reditibus æque ac auctoritati decessisse affirmemus.* Conferantur priora tempora cum nostro ævo, et non erit, cur in hac caussa tantum queratur quisquam.

§ VI.

Jure divino, et antiquo ecclesiastico nulli casus summo Pontifici reservantur.

Sed ne jure veteri ullæ dispensationes sedi apostolicæ servatæ noscuntur.

Quibus modis et viis cœperint reservationes quorumdam graviorum criminum?

Quis sensus et quæ vis declarationis ea de re per concilium Tridentinum editæ?

Quamdiu in Ecclesia cognitum, fixumque fuit, nullum Rom. Pontifici competere jus et immediatam jurisdictionem in aliorum episcoporum diœcesanos, nihil sciebatur de casibus sanctæ sedi reservatis. Notat Thomassinus, pluribus sæculis episcopos absolvisse in foro pœnitentiali qualiacunque enormia crimina, et nullam reservationem papalem fuisse notam. Postea ex episcoporum consensu et invecta doctrina, quasi Papæ tantum juris et immediatæ jurisdictionis competat in alienos diœcesanos, invaluisse reservationes Papales, quæ ultra non perstabunt, quam quoad stabit vigor hujus doctrinæ et episcoporum consensus. Idem *de dispensationibus* observandum est. Citat in hunc finem Barthelium in annot. ad jus can. l. 1, tit. 33.

1. Supra § 3, num. 4 et 5, relata probant, nullum olim fuisse agnitum jus Pontificium fori pœnitentialis in alienos diœcesanos. Demum cœperunt episcopi, nonnullos gravium criminum reos vel pro reconciliatione vel pro pœnitentia imponenda ad sedem apostolicam mittere, qua peracta, ab episcopo absolvebantur.

2. Referente Rogerio Howdeno in annal. pag. 488, anno 1143. Wintoniensis episcopus urbis Romanæ legatus in concilio apud Londinum sancivit, ne, qui alicui clerico violenter manus inicerit, ab alio possit absolvi, quam ab ipso Papa et in præsentia ipsius.

3. Ivo Carnotensis quemdam nobilem, ob mutilationem religiosi presbyteri, quatuordecim annorum pœnitentia peracta, pro impetranda indulgentia Romam misit, addita hac caussa : *reservantes hanc indulgentiam apostolicæ moderationi, — — quatenus et fatigationi itineris hujus peccatum suum diluat, et apud pietatis vestræ viscera misericordiam, quam Deus vobis inspiraverit, inveniat.*

4. De Laurentio Dublinensi in ejus vita apud Baronium ad annum 1179 memoratur, quod adeo incontinentiam ministrorum Ecclesiæ execratus fuerit, ut convictos, licet tanquam archiepiscopus posset, tamen nollet absolvere, sed ad Romanam Ecclesiam a summo Pontifice absolvendos destinaret, ita ut quodam tempore centum quadraginta tales presbyteros Romam miserit absolvendos.

5. Quia a Pontifice absolvendi personaliter se debebant sistere sanctissimo, et ab eo pœnitentiam accipere, atque itineris fatigatio pars pœnitentiæ judicabatur, ideo difficultas obtinendæ absolutionis apta fuit ad retrahendum a crimine sedi apostolicæ reservato.

6. Concilium Tridentinum sess. 14, cap. 7, declarat, *Pontifices maximos pro suprema potestate, sibi in Ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuisse peculiari judicio reservare.* Sed textus non exprimit, qualiter *potuerint*, verosimilius non nisi *consentientibus episcopis*, sine quorum participatione et consensu in Pontificis potestate non sit eorum limitare potestatem a Christo acceptam. Dein prætermissio hujus congruæ explicationis in concilio dedit ansam Lovaniensibus et Coloniensibus theologis objiciendi, ex antiquitate probari non posse, hoc jus reservandi Papæ competere. Denique tunc nondum detecta erat falsitas decretalium Isidori, et adhuc vigebat doctrina, quod sit *ordinarius ordinariorum :* nunc in *disciplinari* hoc puncto et *materia regiminis* forte aliter et explicatius loquerentur Patres.

7. Bellarminus, La Croix et alii Romanarum partium dicunt, probabilius episcopos nunc habere suam potestatem mediante Papa, alioquin hic non posset sibi reservare casus, invitis episcopis. Insubsistentia primæ propositionis demonstratur hoc capite VII, ex quo facile

fluit responsio ad subsumptum alterius propositionis.

NOTA.

Præprimis Febronius tollat suas contradictiones, quas de suo episcopatu in solidum, et originaria potestate episcoporum in universa Ecclesia posuit, ubi omnibus episcopis id concedit, asseritque, quod modo soli Pontifici denegare vult; dein primum inquirat, utrum in Ecclesia non sit major potestas Pontificis, quam cujusvis alterius episcopi? Exin distinguat inter jus seu potestatem, atque usum, seu exercitium juris. Si *de jure* quæritur absolvendi et reservandi casus, id lege divina, humanaque ecclesiastica omnino et aperte fulcitur.

Nunquid omnibus apostolis, simul ac Petro, et in illis omnibus episcopis dictum fuit : *quæcunque alligaveritis, quæcunque solveritis, quorum remiseritis peccata, quorum retinueritis etc.* In his verbis episcopi potestas solvendi et retinendi, seu reservandi peccata certo ac clare comprobatur?

Sed præter hæc Petro adhuc soli atque singulariter a Domino dictum fuit Matth. 16, *quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis :* et quidem hæc ad Petrum tunc dicta sunt, quando a Domino con-

stitutus fuit primas, fundamentum et caput totius Ecclesiæ; nam mox præcedunt verba : *tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam etc.* Ergo Petro non tantum æqualis cum omnibus apostolis, sed adhuc singularis potestas solvendi et ligandi, seu absolvendi et reservandi tradita fuit, et quidem tanquam primati Ecclesiæ *super universam terram*, ut adeo inhæreat juri et officio primatus divini.

Pariter solus Petrus Joan. 21, constitutus est pastor omnium ovium Christi, ejusque curæ relictæ sunt; verum an non principalis pastor, etsi alii quoque inferiores pastores gregi invigilent, potest errantem ovem corrigere, pinguiora pabula subtrahere, aut a caula repellere? Pastoris est, non solum invigilare, superintendere, hortari, sed etiam pascere, corrigere, emendare, et ideo virgam tenet. *Jure divino* igitur Rom. Pontifici potestas reservandi in tota Ecclesia non minus, quam cuivis episcopo in sua particulari Ecclesia, et in suos diœcesanos competit.

Post hæc non est, cur amplius de jure humano et sacris canonibus quæratur. Quod semel jure divino clare sancitum est, necesse non habet, ut etiam canonibus fulciatur. Habeas tamen ex Gelasio I, epist. ad episcop. Dardan. quod Pontifex ab omnibus aliorum episcoporum reservationibus absolvere, sicque tales absolutiones sibi reservare possit; ita enim habet : *cuncta*

per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum sedes Petri apostoli jus habeat resolvendi, utpote quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi, nec cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Quid tu canones et legem petis de eo, quod antiquitus jam aliunde *cuncta per mundum novit Ecclesia?*

At inquies: in antiqua Ecclesia nihil audiebatur de talibus reservationibus. Igitur jam non de jure, sed de praxi et usu hujus juris nobis sermo est. De contrario te convincet mox citata epistola D. Gelasii P. Quod vero rariores fuerint olim reservationes, eruditus adeo Febronius vel ignorat, vel saltem ignorare se simulat caussam diversæ hujus disciplinæ. Res in aprico est, si solus finis reservationis criminum et casuum attendatur, qui est, ut, ob difficultatem obtinendæ absolutionis, homines a committendis gravioribus peccatis retrahantur, uti ipse fatetur Febronius num. 5.

Jam vero in veteri Ecclesia vigebat pœnitentia publica, quæ in occidente adhuc sæculo octavo remansit: per eam pro graviori crimine etiam gravis ac diuturua pœnitentia imponebatur, quod remedium sufficiens erat ad deterrendum, et retrahendum a gravioribus peccatis: at, abrogata disciplina pœnitentiæ publicæ, necesse fuit, aliam substituere, ut homines, ob difficultatem satisfactionis et indulgentiæ obtinendæ, a peccatis saltem gravioribus absterreantur, quod

fiebat per reservationem criminum, qui etiam finis fuit reservationum episcopalium.

Habes igitur jus reservandi in D. Petro assertum; habes caussam mutatæ disciplinæ, et quare Pontifices in veteri Ecclesia jus istud non exercuerint; habes et finem utriusque disciplinæ, qui idem fuit. Nemo ait, quod episcopi non habeant per se veram potestatem absolvendi in foro pœnitentiali cujuscunque, et quantumvis enormis sceleris reos: habent utique, sed per novam disciplinam aliam ob caussam, utique non invitis episcopis restricta fuit, nempe ne nimium facilis fieret indulgentia. His perpensis, facile nobis reconciliantur Thomassinus et Barthelius, qui maxime de sola praxi et disciplina, non tam de jure et potestate loquuntur. Nam addidisset Febronius etiam sequentia Barthelii verba loco citato: *fuit autem hæc potestas adempta episcopis, quia passim illa abutebantur, ex respectu personarum, consanguineorum dispensabant etc. etc.*

Interim si necesse foret, possent etiam in veteri Ecclesia exempla reservationum aut dispensationum Papalium ostendi. Sic Innocentius I, anno 404, Hispaniæ episcopis ob nimiam facilitatem se invicem excommunicandi, et exortas inde perturbationes limitavit, et eatenus reservavit potestatem episcopalem excommunicandi. Anno 415, sibi reservavit absolutionem Attici, quia cognoverat, nimis facili conditione excom-

municatos solere absolvi. De S. Gelasio I, jam dixi etc. etc.

Ad 1. In notis ad § 3, jam ostendi, ibidem num. 4 et 5, relata Febronio in suo sensu nequaquam suffragari, sed potius jus Pontificium adstruere. Non nego, multos ab episcopis ultro ad sedem apostolicam missos fuisse, qui domi poterant absolvi, et quidem eundem ob finem, ob quem reservatio Pontificia introducta est; sed hoc ipsum confirmat, talem reservationem non injuste, nec fraudulenter introductam fuisse, quando ipsi episcopi sua praxi testabantur, talem disciplinam salubrem fore. Attamen illud probatione adhuc indiget, quod ex Van Espen mutuavit Febronius, nempe quod rei ab episcopis ad sedem apostolicam solum missi sint, *ut vel a Pontifice reconciliarentur, vel ut a Pontifice pœnitentia imponeretur, qua demum peracta, ab episcopo absolvebantur*. Cum tamen exempla, quæ num. 2, 3 et 4, profert nullibi testatum faciant, reos demum *ab episcopo* absolutos fuisse, sed potius, quod *a Pontifice* absolvi deberent, et querela tantum in eo consistit, quod nulla a sacerdote vel episcopo accepta vel peracta pœnitentia fraudulenter et obreptitie a Pontifice absolutionem impetrarent. Cæterum, et impositio pœnitentiæ et reconciliatio, quæ dicis, a Pontifice fieri debere, utique etiam actus jurisdictionis sunt? Num fors in tales Pontifex utebatur jurisdictione sibi ab episcopis delegata? Tale quid in veteri Ecclesia auditum non fuit.

Ad 2, 3, 4, et 5. Si his exemplis probare intendit Febronius, episcopos in tales absolutiones suorum diœcesanorum, et respective reservationes ultro consensisse, hoc ipse sequitur, eas non esse usurpationes, et injustas jurium episcopalium restrictiones, quod adversarii sæpe improperant, sed ita seipsos confundunt; pariter ex his et similibus exemplis probatur, quod dum ipsi episcopi, abrogata pœnitentia publica, agnoverunt necessitatem pro remedio contra tot gravia crimina aliam, et quidem hanc ipsam disciplinam inducendi, nempe ut horum absolutio Rom. Pontifici reservaretur, eo ipso Papa, cui præprimis incumbit procurare bonum totius Ecclesiæ, et salutem omnium fidelium, hanc disciplinam et reservationes optime ac saluberrime induxerit, tanquam ipsorum episcoporum menti consentaneam; sic ut, licet quidam episcopi taliter sua jura lædi crediderint, aut etiam conquesti fuerint, nihilominus præponderaret bonum commune Ecclesiæ, et salus animarum, adeoque ob hanc caussam juste prohiberentur jus suum exercere, quod alii sponte dimiserunt, et utiliter aut necessario dimittendum esse judicarunt; proin hac in parte illa exceptio de restrictione jurium episcopalium audienda non est, cum et justa caussa, optimus finis, et commune bonum Ecclesiæ suppetant, quin et ipse Febronius num. 5, fateri cogatur, *difficultatem obtinendæ absolutionis aptam fuisse ad retrahendum*

crimine sedi apostolicæ reservato.
de eo adhuc quæritur, utrum sum-
Pontifex propria auctoritate alienos diœce-
sanos absolverit, et certa crimina pro ab-
solutione sibi reservaverit, vel episcopi eidem
jurisdictionem quasi delegaverint, aut in
devolverint ? Sed hoc ultimum in Ecclesia
nunquam auditum fuit, et tota quæstio de jure
summi Pontificis cessat, si ad superius dicta at-
tendamus, ubi demonstratum fuit, illud lege
divina et ex officio primatus ei competere. Quis unquam somniavit, quod Pontifex in Ecclesia jurisdictionem accipiat ab episcopo, nisi in erroneo et perverso Febronii systemate, in quo tamen sibi ipsi patenter contradicit; quippe non concedit, quod episcopi jurisdictionem recipiant a Papa tanquam capite et primate Ecclesiæ, nec etiam episcopi ab episcopis in suo universali episcopatu in solidum, quî ergo prætendere poterit, quod Papa suam jurisdictionem recipiat ab episcopis?

Porro de episcopis dicimus : *Si de jure* quæritur, habent illi vi ordinis episcopalis potestatem et jurisdictionem absolvendi ab omnibus peccatis : sed hæc potestas est restringibilis ob bonum Ecclesiæ, et subordinata. Quid in hoc mali? utique per canones pœnitentiales, quorum multi a Pontificibus prodierunt, etiam episcoporum potestas restricta fuit, ne præpropere, aut sine pœnitentia præscripta et canonica ab-

solverent. Si *de facto* quæritur, ut vidimus, hæc restrictio juste atque ob bonum commune Ecclesiæ facta fuit.

Ad 6. Lectorem fallere vult Febronius, aut apertis oculis non videt, quando hanc glossam apponit : *textus inquit* potuerunt, *non exprimendo, qualiter potuerint.* Utique textus expresse ait, *pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita potuisse reservare.* Vides, *qualiter,* et qua auctoritate *potuerint,* nempe *potestate suprema,* et quidem *in universa Ecclesia sibi* non aliunde, quam a Christo *tradita;* quippe *suprema potestas* Petro non ab Ecclesia, sed a Christo tradita est. Igitur jure ac potestate primatus universalis atque divini. Cessent ergo vanæ Febronii interpretationes ac glossæ.

Sed ait ulterius, *prætermissionem congruæ explicationis dedisse ansam quibusdam, nominatim Lovaniensibus et Coloniensibus theologis objiciendi, qualiter ex antiquitate probari non possit, Pontifici competere jus sibi absolutionem quorumdam peccatorum propria auctoritate reservandi.* Citat Frà Paolo, d'Amelot et De Vargas.

Sed Pallavicinus *hist. concil. Trident.* lib. 12, c. 11, notat, de his Lovaniensium et Coloniensium objectionibus nec verbo mentionem fieri in actis, atque a Suavi omnino conficta esse, dein illa theologorum objecta, si etiam vera fuissent, tam abunde diluit, ut pigere debuisset Febronium, cum Suavi, ejusque commentis

municatos solere absolvi. De S. Gelasio I, jam dixi etc. etc.

Ad 1. In notis ad § 3, jam ostendi, ibidem num. 4 et 5, relata Febronio in suo sensu nequaquam suffragari, sed potius jus Pontificium adstruere. Non nego, multos ab episcopis ultro ad sedem apostolicam missos fuisse, qui domi poterant absolvi, et quidem eundem ob finem, ob quem reservatio Pontificia introducta est; sed hoc ipsum confirmat, talem reservationem non injuste, nec fraudulenter introductam fuisse, quando ipsi episcopi sua praxi testabantur, talem disciplinam salubrem fore. Attamen illud probatione adhuc indiget, quod ex Van Espen mutuavit Febronius, nempe quod rei ab episcopis ad sedem apostolicam solum missi sint, *ut vel a Pontifice reconciliarentur, vel ut a Pontifice pœnitentia imponeretur, qua demum peracta, ab episcopo absolvebantur*. Cum tamen exempla, quæ num. 2, 3 et 4, profert nullibi testatum faciant, reos demum *ab episcopo* absolutos fuisse, sed potius, quod *a Pontifice* absolvi deberent, et querela tantum in eo consistit, quod nulla a sacerdote vel episcopo accepta vel peracta pœnitentia fraudulenter et obreptitie a Pontifice absolutionem impetrarent. Cæterum, et impositio pœnitentiæ et reconciliatio, quæ dicis, a Pontifice fieri debere, utique etiam actus jurisdictionis sunt? Num fors in tales Pontifex utebatur jurisdictione sibi ab episcopis delegata? Tale quid in veteri Ecclesia auditum non fuit.

Ad 2, 3, 4, et 5. Si his exemplis probare intendit Febronius, episcopos in tales absolutiones suorum diœcesanorum, et respective reservationes ultro consensisse, hoc ipse sequitur, eas non esse usurpationes, et injustas jurium episcopalium restrictiones, quod adversarii sæpe improperant, sed ita seipsos confundunt; pariter ex his et similibus exemplis probatur, quod dum ipsi episcopi, abrogata pœnitentia publica, agnoverunt necessitatem pro remedio contra tot gravia crimina aliam, et quidem hanc ipsam disciplinam inducendi, nempe ut horum absolutio Rom. Pontifici reservaretur, eo ipso Papa, cui præprimis incumbit procurare bonum totius Ecclesiæ, et salutem omnium fidelium, hanc disciplinam et reservationes optime ac saluberrime induxerit, tanquam ipsorum episcoporum menti consentaneam; sic ut, licet quidam episcopi taliter sua jura lædi crediderint, aut etiam conquesti fuerint, nihilominus præponderaret bonum commune Ecclesiæ, et salus animarum, adeoque ob hanc caussam juste prohiberentur jus suum exercere, quod alii sponte dimiserunt, et utiliter aut necessario dimittendum esse judicarunt; proin hac in parte illa exceptio de restrictione jurium episcopalium audienda non est, cum et justa caussa, optimus finis, et commune bonum Ecclesiæ suppetant, quin et ipse Febronius num. 5, fateri cogatur, *difficultatem obtinendæ absolutionis aptam fuisse ad retrahendum*

a committendo crimine sedi apostolicæ reservato.

Verum de eo adhuc quæritur, utrum summus Pontifex propria auctoritate alienos diœcesanos reos absolverit, et certa crimina pro absolutione sibi reservaverit, vel episcopi eidem suam jurisdictionem quasi delegaverint, aut in eum devolverint? Sed hoc ultimum in Ecclesia nunquam auditum fuit, et tota quæstio de jure summi Pontificis cessat, si ad superius dicta attendamus, ubi demonstratum fuit, illud lege divina et ex officio primatus ei competere. Quis unquam somniavit, quod Pontifex in Ecclesia jurisdictionem accipiat ab episcopo, nisi in erroneo et perverso Febronii systemate, in quo tamen sibi ipsi patenter contradicit; quippe non concedit, quod episcopi jurisdictionem recipiant a Papa tanquam capite et primate Ecclesiæ, nec etiam episcopi ab episcopis in suo universali episcopatu in solidum, quî ergo prætendere poterit, quod Papa suam jurisdictionem recipiat ab episcopis?

Porro de episcopis dicimus: *Si de jure* quæritur, habent illi vi ordinis episcopalis potestatem et jurisdictionem absolvendi ab omnibus peccatis: sed hæc potestas est restringibilis ob bonum Ecclesiæ, et subordinata. Quid in hoc mali? utique per canones pœnitentiales, quorum multi a Pontificibus prodierunt, etiam episcoporum potestas restricta fuit, ne præpropere, aut sine pœnitentia præscripta et canonica ab-

solverent. Si *de facto* quæritur, ut vidimus, hæc restrictio juste atque ob bonum commune Ecclesiæ facta fuit.

Ad 6. Lectorem fallere vult Febronius, aut apertis oculis non videt, quando hanc glossam apponit : *textus inquit* potuerunt, *non exprimendo, qualiter potuerint.* Utique textus expresse ait, *pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita potuisse reservare.* Vides, *qualiter,* et qua auctoritate *potuerint,* nempe *potestate suprema,* et quidem *in universa Ecclesia sibi* non aliunde, quam a Christo *tradita;* quippe *suprema potestas* Petro non ab Ecclesia, sed a Christo tradita est. Igitur jure ac potestate primatus universalis atque divini. Cessent ergo vanæ Febronii interpretationes ac glossæ.

Sed ait ulterius, *prætermissionem congruæ explicationis dedisse ansam quibusdam, nominatim Lovaniensibus et Coloniensibus theologis objiciendi, qualiter ex antiquitate probari non possit, Pontifici competere jus sibi absolutionem quorumdam peccatorum propria auctoritate reservandi.* Citat Frà Paolo, d'Amelot et De Vargas.

Sed Pallavicinus *hist. concil. Trident.* lib. 12, c. 11, notat, de his Lovaniensium et Coloniensium objectionibus nec verbo mentionem fieri in actis, atque a Suavi omnino conficta esse, dein illa theologorum objecta, si etiam vera fuissent, tam abunde diluit, ut pigere debuisset Febronium, cum Suavi, ejusque commentis

in scenam conscendere. Ego interim his theologis facile respondeo, hoc jus ex antiquitate *per facta et praxin* liquido non probari : at certo probari ex eo, quod definivit Tridentinum, scilicet *ex suprema in universa Ecclesia potestate*, quæ utique cum Ecclesia cœpit, semperque fuit; quod vero Pontifices antiquitus ea usi non fuerint, et hinc facta non extent, supra allata est ratio.

Sed longe intolerabilius est, quod Febronius dicat, falsitatem decretalium Isidori tunc nondum detectam fuisse, adhuc viguisse opinionem, quasi Papa esset ordinarius ordinariorum, nunc in hoc puncto disciplinari fors aliter et explicatius locuturos Patres, nec neglecturos prudens et eruditum monitum Lovaniensium et Coloniensium theologorum.

Pace Febronii dixerim, hæc falso et cum maxima injuria contra concilium proferri. Num decretales Isidori aut prævalens tunc opinio pro fundamento positæ sunt ad rei veritatem detegendam, et definitionis decretum concludendum? minime. Pallavicinus cit. lib. cap. 10, num 18, ostendit, theologis injunctum fuisse, ut in materia sacramenti pœnitentiæ *fundamenta, super quæ stabiliendæ erant sententiæ, forent sacræ litteræ, apostolicæ traditiones, concilia comprobata, constitutiones, auctoritatesque Rom. Pontificum ac SS. Patrum, et Ecclesiæ consensio.* En! non Isidori decretales, non vulgarem opi-

nionem, sed intima, genuina et maxime propria loca, unde dogmata et fidei definitiones petuntur. Sed et ex ipsis decreti verbis manifestum est, Patres neque ad decretales Isidori, neque ad vulgarem opinionem respexisse, aut inde suam sententiam, sed potius ex certissima antiquitate, Ecclesiæ sensu atque doctrina deprompsisse. Sic enim habet : *persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Hìc ex *verissima persuasione*, quæ *semper* in Ecclesia fuit, pronuntiatur absolutio nulla, quæ profertur in non subditum. *Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat sacerdotibus absolverentur.* Hoc loco caussa reservationis proponitur, quæ non est usurpatio, ambitus Rom. Pontificum, non pecuniæ cupiditas, sed *disciplina magnopere necessaria*, et sic etiam *sanctissimis Patribus*, episcopis antecessoribus *visum est.* Postea synodus concludit : *unde merito Pontifices maximos pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita caussas graviores potuerunt reservare.* Scilicet ob eam caussam *disciplinæ ;* et quamvis Patribus ita visum est, adeoque consentirent episcopi, hæc ratio seu consensus non tribuit summis

Pontificibus jurisdictionem hanc et potestatem, sed eam jam habebant *supremam*, atque *ex suprema potestate sibi tradita in Ecclesia universa*, non delegata, non devoluta, ita absolvendo sententiam non proferunt in non subditum. Postea hæc potestas reservandi etiam omnibus episcopis asseritur, sed tantum in suos diœcesanos : *neque dubitandum est, quod omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate.* Ergo episcopi *omnes* habent hanc potestatem reservandi, sed tamen *quivis* solum *in sua diœcesi*, et in *suos subditos*, Pontifex vero *in universa Ecclesia*. Tandem synodus de utraque et episcoporum et Pontificis reservatione ita finit : *hanc autem delictorum reservationem consonum est divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere.* En! reservatio a synodo non ad Isidori decretales, sed *ad divinam auctoritatem*, nempe ad potestatem *ligandi et retinendi* peccata reducitur.

Ad 7. Sufficit pro reservatione in Pontifice *potestas suprema*, quam asserit concilium Tridentinum, in episcopis *subordinata* primatui atque potestati supremæ, quin necesse sit ad sententiam Bellarmini et aliorum descendere. Potestatem autem *supremam* Pontificis in universa

Ecclesia non solum Tridentinum clare asserit, supponitque, sed a nobis toto hoc opere in notis demonstratur; unde altera propositio de subordinata episcoporum potestate per se fluit, quia non dantur in eodem regimine plures potestates supremæ, non subordinatæ atque divisæ, ex quo sequitur, reservationes Pontificias omnino legitimas esse.

Multum sibi profecisse existimat Febronius, quando tom. II, III et IV, variis locis similia, et eadem fere, quæ t. I attulit, iterum reproducit, scilicet quod aliqui episcopi et ipsa concilia Rom. Pontifici reservaverint absolutionem graviorum criminum, alii, e contra, sibi ipsis hanc potestatem asseruerint. Optime : nam ista omnia jam concessimus. Si quidam episcopi et concilia absolutionem graviorum criminum Papæ reservarunt, hanc reservationem bono ecclesiarum et animarum utilem vel necessariam esse crediderunt : si alii absolutionem sibi asseruerunt, jus suum absolvendi ab omnibus peccatis comprobarunt, quod non negamus, episcopis per se competere. In hoc igitur jus episcoporum ostenditur; in primo vero justitia reservationis demonstratur. Verum an summus Pontifex non potuit reservationem per legem inducere, quando justa et communis caussa subest, bonum commune Ecclesiæ et salus animarum id exigit, vel saltem eidem sic melius providetur? et an non episcopi in tali casu debent suo juri, vel potius exercitio

sui juris cedere? utique bonum commune prævalet, et episcopi, uti expresse Tridentinum in hoc puncto asserit, habent suam jurisdictionem *in ædificationem* non *in destructionem*. Igitur Papa potuit reservare, et episcopi ob bonum totius Ecclesiæ, quod promovere ex officio suo tenentur, debent consentire: proin refragantium exempla audienda non sunt, nisi simul ostendatur, talem reservationem non solum suorum jurium exercitio, sed præprimis Ecclesiæ noxiam esse.

Quandocunque ergo in medio stat bonum commune Ecclesiæ, cui allaborare ex officio suo pastorali obligantur omnes episcopi, horum consensus juste præsumitur: attamen hic consensus Papæ non tribuit potestatem reservandi, quia hanc jam habet in officio sui primatus, ut bono Ecclesiæ communi non solum invigilet, sed hoc etiam per media apta sustentet, promoveatque; unde non eget expresso consensu episcoporum, qui per se ad bonum commune concurrere tenentur, sed etiam aliquibus invitis hanc potestatem exercere potest.

Neque hìc opponas, non omnes reservationes Papales in Gallia in usu esse. Nam in Gallia semper rigidior circa pœnitentiam disciplina remansit, et hæc reapse caussa est, quare in Gallia non omnes reservationes in usu sint, et Pontifex has ibi non inducere, et earum non receptioni potius assentiri voluerit, nempe quia ibi caussa, finis etc. non semper subesse videbantur,

non vero illæ libertates et consensus, quos hodierni scriptores Galli pro caussa et fundamento obtendunt, nisi forte exceptis casibus bullæ Cænæ, quorum reservatio tum illi Ecclesiæ non tam prodesse, quam juribus regni nocumentum afferre videbatur. Utrum bene vel male, vere ac falso? de hoc non inquiro.

Quare Papa hanc jurisdictionem reservandi et absolvendi propria, eaque *suprema*, ut ait Tridentinum, potestate exercet, non pendente a consensu episcoporum aut concessione Ecclesiæ, sicuti Febronius explicat, quia potestas, quæ ab aliis recipitur, vel conceditur, *suprema* non est, atque concilium se ipsum satis explicat dicendo : *pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita, non dicit,* ab universa Ecclesia tradita; unde interpretatio Febronii clare menti ac litteræ concilii Tridentini repugnat.

Tandem, ut plene convincatur Febronius, addo ea, quæ tom. IV, dissert. 7, cap. 1, num. 9, ait : non solus Petrus, sed et reliqui apostoli eandem potestatem ligandi atque solvendi obtinuerunt. At post diœcesium divisionem non licuit ulli episcopo, etiam primo, ea, quæ ordinariæ jurisdictionis sunt, in aliena diœcesi exercere. Refert se ad tom. I, cap. 7. Item tom. II, apolog. art. 12, num. 2, ait, sibi ipsis illudere scholasticos, quando putant, omnem hodie exerceri solitam potestatem Rom. Pontificis contineri in illis verbis Christi ad Petrum : *Pasce oves meas, tu*

es Petrus etc. Consulant canones conciliorum, scrutentur his nixam Ecclesiæ disciplinam etc.

At jure optimo Febronio sua verba in proprium sinum repono : *sibi ipsi* et aliis *illudit*, et *qui sic ratiocinantur*, *illis in faciem dici potest, quod non habeant spiritum Ecclesiæ*. Hæc inprimis suæ doctrinæ de uno episcopatu in solidum contradicunt. Dein, ut jam dixi, omnes apostoli eandem potestatem ligandi et solvendi obtinuerunt, Petrus tamen adhuc singularem in universam Ecclesiam per verba, singulariter ei dicta tunc, quando totius Ecclesiæ primas et fundamentum constitutus fuit. Vel an verba Christi ad Petrum nihil omnino significent? nihil operentur? post diœcesium divisionem nulli episcopo licuit jurisdictionem in aliena diœcesi exercere; licuit tamen primo, scilicet successori Petri, quia ejus primatus, et consequenter potestas huic annexa nulli diœcesi adstringitur, sed in universam Ecclesiam se extendit. Jam quid opus est consulere canones, scrutari disciplinam, quando ex una parte clara sunt verba Christi, quando Patres et concilia hanc potestatem agnoverunt : ex altera parte in hoc puncto disciplinæ, stante adhuc pœnitentia publica, reservatio talis necessaria non fuit, sicque potestas primatus in hoc se exercere non debuit, ideoque de ea nec canones condi poterant? nunquid multi canones non statim initio Ecclesiæ, sed successive et post tempora etiam per ipsos summos Pontifices

de variis disciplinæ capitibus sanciti fuerunt? Num ideo potestas tales leges condendi non præexistebat, vel nihil valebant, quia anteriores canones in his nondum quid statuerunt? Sed utique concilium Tridentinum hanc reservandi postestatem disertis verbis agnovit, et novam hanc disciplinam solenni decreto firmavit. Quid ultra petis? an concilium generale tibi non sufficit, vel huic et spiritui Ecclesiæ aperte repugnare vis?

§ VII.

Explosa cardinalis de Luca sententia de Romani Pontificis universali ordinariatu, — Corruit privilegium mendicantium excipiendi confessiones in aliorum diœcesibus, — Referuntur episcoporum adversus hoc privilegium oppositiones.

Plura de regularium privilegiis.

Cardinalis de Luca *in relatione curiæ Romanæ* defendit, *quod Papa sit ordinarius ordinariorum, cum quolibet concurrere, eosque prævenire possit.* Contrariam *opinionem* vocat *schismati proximam*, et tamen fatetur esse *antiquam*. Fleury hist. eccles. lib. 48, num. 42, quando S. Thomas hanc cardinalis sententiam pro defensione mendicantium contra libellum Guillelmi a S. Amore expressit, monet has opiniones esse novas. Certe

sub initium sæculi IX, communem fuisse sententiam, quod Papa non possit episcopalia jura in omnibus diœcesibus exercere, colligitur ex hucusque dictis, et ex capitulari Ahytonis episcopi Basileensis ad suum clerum anno 821, ubi ait : *hoc omnibus fidelibus denuntiandum, ut qui devotionis caussa ad limina beatorum apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua, et sic proficiscantur, quia a proprio episcopo suo aut sacerdote ligandi, aut exsolvendi sunt, non ab extraneo.* Advertit hìc Fleurius, sub nomine episcopi *extranei* Papam æque ac alios comprehendi, et fatetur cardinalis de Luca, quod, ruente fundamento universalis illius episcopatus Pontificis, hic multa non posset interdicere et reservare, quæ originarie juris episcopalis sunt.

Ex lutulento illius opinionis fonte omnia regularium privilegia dimanant, quorum tantus est numerus, ut spissa volumina impleant. Petrus Aurelius opp. tom. II, ait, regulares velle suo ministerio proportione quadam respondere dignitati et eminentiæ summi Pontificis, et sicut Pontifex est universalis episcopus, ita regulares sint quasi universales parochi et ministri ejus generales aliis parochis eo altiores, quanto Pontifex particularibus episcopis antecellit. Item regulares ab Ecclesiæ pastoribus ad animarum messem subsidiarie, humaniter et benevole admissi illis subito se anteferunt, et superiores ac excellentiores in labore alieno, et in aliena messe

colligenda esse volunt contra consilium evangelicum Lucæ 14.

1. Habet summus Pontifex *qua episcopus* Romanus suam particularem diœcesin, habet sua jura *patriarchalia*, habet *Papalia* vigore universalis primatus, sed nullo horum Romano præsuli competere jus per concurrens exercitium præjudicandi juribus particularium ecclesiarum et episcoporum, toto opere probatum fuit : eidem firmatur *præsidium, et directorium* universi, id est, *sollicitudo omnium ecclesiarum*, sed non *immediata cura et directio singularium ovium.*

2. Post falsas decretales Romani antistites, et inter eos primus Gregorius IX, in bulla Anagniæ data anno 1227, cœperunt fratribus mendicantibus dare facultatem excipiendi confessiones in alienis diœcesibus, quod privilegium Matthæus Parisius vocat *inauditum, hoc etiam ipsis temporibns novum.*

Dicet fortasse aliquis, concedendæ hujus facultatis magnam tum fuisse necessitatem, quæ se etiam ad futurum tempus extenderet. Si hoc verum est, non renuit Febronius, attamen addit : eum, qui apte probaret hoc, quam qui gratis et sine ratione assereret, audirem libentius. Nam non pauciores parochiales presbyteri post Gregorium IX, quam ante fuerunt, et hi tum excipiendis fidelium confessionibus suffecerunt. Si autem per 1200 annos non suffecissent, Pontifices certe in suo officio pastorali defecissent.

Papa ante sæculum XIII, pro excipiendis confessionibus nunquam misit monachos, quod si nullus fecisse reperiatur, quis hanc facultatem ei jure transcribet? Quæ traditio, quod disciplinæ exemplum hanc ei autoritatem confirmabit?

3. Hæc novitas causavit dissidia inter prælatos et parochos ex una, et mendicantes ex altera parte, quod intelligitur ex bullis Bonifacii VIII, *super cathedram*. Benedicti XI, *inter cunctas*. Clementis V, *dudum*.

4. Durarunt hæc dissidia adhuc tempore concilii Tridentini, ubi plures Patres institêre, ut auctoritate concilii hæc privilegia omnimode revocarentur, ita ut *non nisi auxiliares et subsidiarii* essent prælatorum et pastorum in hierarchicis functionibus. At restituerunt ordinum generales, eorum Patroni, et maxime curiales Romani, quia hæc privilegia innitebantur *plenitudini potestatis Pontificiæ*, quam non ignorabant, mendicantes æque ac sua privilegia propugnaturos esse. Thomassinus in responsione ad notas scriptoris anonymi hanc *plenitudinem potestatis* etiam admittit, sed in exercitio cessare ait, si per ejus usum bonum pacis turbatur: non potest autem non turbari, nisi episcopis dicatur, ut sinant se tranquille exui juribus a Deo et Ecclesia acceptis.

5. Hæ *novitates*, *oppositiones*, et inde enatæ *contentiones* ac *scandala* cuivis palam faciunt gra-

vem et quasi substantialem alterationem in sacra hierarchiæ, innixam fundamento ante falsas decretales ignorato, et grave præjudicium ferunt adversus Romanorum attentatum, et hujus basin, episcoporum juri tam præjudicialem.

6. Concilium Tridentinum quidem statuit sess. 23, cap. 15, nullum presbyterum, *etiam regularem*, nisi ab episcopo approbatum, posse sæcularium confessiones audire. Sed sic monachorum independentiæ terminus positus non fuit. Multi in Gallia, maxime Jesuitæ, adversus episcopos Galliæ sustinebant, se hoc decreto non ligari, ex quo Tridentinum in Gallia, quoad solum dogma, receptum fuit. Alii prætendunt cum Navarro, Laymann, Palao solam præsentationem a superiori regulari episcopo factam sufficere. Plures docent, approbationem semel ab episcopo datam non posse ab eo revocari juxta constitutionem Pii V. Plerique tenent, cum Tridentinum de confessionibus sæcularium tantum loquatur, saltem vi privilegiorum regulares adhuc posse audire confessiones *suorum* sine approbatione episcopi. Ex his apparet, regulares interpretari Tridentinum in sensu sibi magis favente, atque eam sententiam in praxi tenere, licet agatur de valore sacramenti, facile iis fuisse a Pontificibus ex monachorum ordine assumptis talia præjudiciosa impetrare privilegia, ea vero inniti fundamento fragili, scilicet prætensæ *plenitudini potestatis et ordinariatui universali*, quibus sublatis tota hæc moles labitur.

7. Universim plus sperandum boni, minus metuendum mali et inconvenientiæ, si directio animarum permaneat in manibus verorum pastorum, episcoporum nempe et parochorum, primævorum et necessariorum Ecclesiæ ministrorum; hic status multo convenientior est *episcopis*, quorum inspectio in commissum gregem foret multo facilior, luminosior, fructuosior, si parochus de omnibus suis parochianis episcopo posset respondere, instructio uniformior, et directionis executio promptior, dum, e contra, regularium ministeria confusionem inducunt, episcopalem inspectionem et directionem invertunt, opinionum diversitatem, sæpe laxitatem invehunt, sicque uniformitatem impediunt. *Parochi* de singulis ovibus taliter respondere non possunt, coguntur nolentes se ad extraneorum haud raro minus aptorum judicium referre, de quo merito zelosi pastores gemunt, remissi gaudent, et in otio dies suos transigunt. Fideles vix possunt non spirituale pati detrimentum, quando caulam sui pastoris deserunt, transitoriæ directioni religiosi se committunt, brevi disparituri, dependentis ab arbitrio sui regularis, propria jurisdictione carentis, et legitime non vocati.

Inde infertur 1. Ministerium regularium in hierarchicis functionibus nullius vere et proprie dictæ necessitatis esse. 2. Periculosum fieri, si a sollicitudine pastorali primi et secundi ordinis independens esse prætenditur. 3. Maxime dam-

nosum evenire, quando ad spiritum independentiæ accedit spiritus singularitatis, novitatis, factionis, doctrinæ, oppositus doctrinæ aliorum ordinum. Hæc tamen non impediunt 4, quominus utriusque ordinis pastores unum, alterumque religiosum pro re nata, exigentia et suo arbitrio sine omni periculo, et tanto majori cum fructu sub cautela § sequente producenda in adjumentum suæ sollicitudinis adhibeant.

8. Originem et occasionem tot privilegiorum a regularibus obtentorum genuine aperit instructio pastoralis archiepiscopi Parisiensis anno 1763, edita favore Jesuitarum adversus parlamenta Galliæ, ubi ait, manifestum abusum regularium fuisse, ut dum unus ordo vel communitas privilegium aut gratiam obtinuit, mox alii quoque ordines voluerint participare de his privilegiis, atque de his sollicitaverint. At si ex parte petentium fuit abusus, an ex parte concedentium erit minor? an hæc bona species regiminis? an hæc non valida egent reformatione?

9. Ait Parisiensis antistes, talia privilegia, exemptiones, concessiones, gratias, favores fere nullum usum habere in Gallia. At bonum Ecclesiæ et reipublicæ postulat, ut hac in parte etiam alibi par sit conditio et illorum restrictio, secus religiosi suis privilegiis sine diminutione fruendi animus remanebit, quod probat exemplo alicujus sententiæ in curia obtentæ a collegio Friburgensi S. J. in Brisgoia contra parochum in puncto decimarum.

NOTA.

Papa est *ordinarius ordinariorum*. In quo sensu? nempe quatenus etiam inferiores pastores ejus vigilantiæ, curæ pastorali atque correctioni commissi sunt : habet immediatam jurisdictionem in omnes christianos, ita tamen, ut propter bonum ordinis nec expediat, nec debeat eam pro libitu et sine caussa exercere, sed solum quando subest necessitas vel utilitas Ecclesiæ, quando id postulat salus animarum, vel in defectu ordinariorum pastorum; sic enim debet curare totum, ut singularia non ipse perficiat, nisi quando toti non conveniunt, aut sint difformia, quod ipse Gerson porfitetur. Hanc ipsam doctrinam D. Thomas non ex proprio suxit, sed SS. Patrum testimoniis omnino consentanea est, uti sæpe id jam demonstravimus, proin *nova* non est, et dum cardinalis de Luca contrariam vocat *antiquam*, respective ad hanc in sensu supra allegato, antiquior non est, sed antiqua dicitur, quod jam ætatem teneat.

Quod si inde ex nostra explicatione illius propositionis inferas, talem potestatem in Papa non fore ordinariam, sed extraordinariam, per me usque ad litem de nomine descendere poteris. Interim etiam episcopo incumbit communis vigilantia, inspectio et cura in tota sua diœcesi, non tamen debet sua jura eminentiora passim

exercere ad destructionem, aut quando inde oritur confusio, sed solum ad ædificationem, et tamen ordinariam habet jurisdictionem. De Papa dico, quod episcopi ex lege subordinationis et respectus ad summum Pontificem tanquam superiorem in tota Ecclesia non ab homine aut concilio, sed a Deo positum, non possint eum impedire a functionibus hierarchicis et jurisdictione exercenda, quamdiu id non cedit in detrimentum sui gregis ac boni ordinis, et hæc est jurisdictio vere ordinaria, quamvis restricta ad leges boni ordinis, et ædificationis Ecclesiæ, atque ne communitas ullum grave damnum patiatur, quod de bona administratione omnis jurisdictionis præsupponitur.

Scio, quid reponas : hæc jurisdictio Papæ impedit, aut invadit jura episcopi : igitur hoc ipso bonum ordinem invertit. Respondeo, idipsum reponis, quod in quæstione versatur. Bonum commune ex una, et subordinatio ex altera parte totam objectionem, et æquivocationem, quæ hìc committitur, removent. Papa non debet in aliena diœcesi jus suum exercere, concurrere, prævenire, supplere etc. sine caussa, et nisi ob bonum commune : sed ob bonum commune tenetur inferior cedere juri superioris, præcipue, si ille jus suum ex officio non alium ob finem teneat, quam ad procurandum bonum totius, quale est officium pastorale in episcopis ; per hoc igitur bonus ordo non invertitur, sed stabilitur. Subordinatio autem legem

imponit cedendi juri superioris, modo hic jure suo non abutatur. Ex quo sequitur, quod non semper sit abusus, si Pontifex jus aliquod exerceat in aliena diœcesi, et quod querelæ quorumdam episcoporum contra abusum Pontificiæ potestatis neutiquam falsam esse demonstret eam doctrinam *de plenitudine potestatis* Pontificiæ, et *immediata jurisdictione* in omnes Christianos, minus eam evertant. Sic D. Paulus Titum Cretæ, et Timotheum Ephesi constituit episcopos cum potestate et cura *immediata* in suas oves et diœcesanos. Sed num Paulus posthac nullam amplius habuit potestatem *immediatam* in has oves et fideles? an nullam indè in eos exercuit? sed quæ tunc Paulo universali apostolo adhuc in alterius episcopi diœcesanos potestas fuit, maxime etiam in Petro erat, a quo cum jure primatus in successores descendit: itaque in Paulo habes exemplum *plenæ et immediatæ* potestatis in diœcesanos, quamvis hi proprium haberent episcopum.

Sed jam paulisper Febronii systema assumo: si episcopi in sua diœcesi divina auctoritate habent *plenitudinem potestatis*, tunc ista erit independens, non subordinata, nullius influxu indiget, quod tua hactenus probant principia et argumenta: ergo nec a Papa, nec a concilio generali limitari, regulari, coarctari poterit, quia divina, quia plena est. Id igitur cuivis episcopo tribuis, quod soli primati totius Ecclesiæ denegas: id pluribus concedis, quod uni tanquam capiti abesse

vis, et in uno capere non vales : tandem id admittere debes, quod ab initio hucusque catholico sensui ac doctrinæ totius Ecclesiæ contrariatur. Vide contradictiones et pessimam hujus doctrinæ sequelam.

Porro falsum esse, quod initio sæculi 9, communis fuerit opinio, Rom. Pontificem non posse episcopalia jura in aliena diœcesi exercere, non modo ex hactenus dictis in notis colligitur, sed neque Febronii exempla id probant, nec etiam Ahytonis episcopi Basileensis capitulare huc pertinet. Pœnitentia publica tunc adhuc erat in usu, ut hanc effugerent, multi sine testimoniis episcopi Romam proficiscebantur, et fraudibus Papam circumveniendo, absolutionem impetrarunt, prout supra § 3, in not. ostensum fuit. His fraudibus juste poterant contraire episcopi, suis diœcesanis prohibendo, ne, pœnitentia nondum imposita aut expleta, Romam pro absolutione pergant, cum juxta ecclesiasticam disciplinam a proprio episcopo debebant pœnitentiam recipere, atque reconciliari, nisi ab illo *licentiam et litteras ad apostolicum ex iisdem rebus deferendas accipiant*, ut ait concilium *Seligenstadiense*, vel ipse episcopus reum *ad Papam direxerit*, ut ait concilium Lemovicense. Hæc igitur solum statuta sunt, ut fraudibus janua obstruatur, et recta disciplina in suo vigore conservetur. Sed num ex eo, quod absolutionibus a Papa illicite et fraude elicitis præcaveatur, probatur, nullam Papæ in

alienos diœcesanos esse jurisdictionem? An non etiam absolutio episcopi fraude obtenta a suo parochiano, invalida est? An summi Pontifices unquam prætenderunt, sibi hanc potestatem in indignos, et absque prævia pœnitentia ac satisfactione, vel ob fictionem commissamque fraudem incapaces competere?

An non Benedictus IX, apud Baronium ad annum 1034, num. 21, redarguit episcopum, de hujusmodi injusta et fraudulenter obtenta absolutione conquerentem, quod ipse in culpa sit, quia debuisset, *antequam illa mortua ovis Romam veniret*, Pontifici *ejus caussam suis innotescere apicibus, ut eam* etiam *ipse omnimode abjiceret.* Per quod ipse Pontifex ostendit, justam fore cautelam et prohibitionem episcoporum, ne parochiani sine eorum licentia et litteris Romam pro absolutione pergant. At idem concilium Lemovicense eodem loco plenam agnoscit, absente fraude, Rom. Pontificis in suos parochianos potestatem, quando statuit, *ut si episcopus parochiano suo pœnitentiam imponit, eumque Papæ dirigit*, hic adhuc possit *judicare, utrum sit, an non, pœnitentia dignus pro tali reatu*, et *Papa possit eam confirmare, aut levigare, aut superadjicere*, cujus rei notabilem rationem affert : *Judicium enim totius Ecclesiæ maxime in apostolica Romana sede constat.* Antequam vero istam declarationem posuit concilium, dixerant episcopi : *hoc ab ipsis apostolicis Romanis et cæ-*

toris Patribus tantum teneamus etc. Profecto quis nescit, in prima Ecclesia injuste excommunicatos aut depositos a suis episcopis ad Ecclesiam Romanam et sedem apostolicam sæpius confugisse, ut ibi absolverentur? Gelasius I, P. ait, *cunctam per mundum novisse Ecclesiam, quod sedes Petri apostoli quorumlibet sententiis ligata Pontificum jus habeat resolvendi.* Hæc sententia et doctrina tenuit ab eo tempore in tota Ecclesia, quo Christus Petro dixit: *Pasce oves meas, pasce agnos meos.* Proin falsissimum est, quod Febronius ait, *sub initium sæculi* 9, *communem fuisse opinionem, quod Papa non posset alienos parochianos sine licentia proprii episcopi absolvere, et hanc disciplinam perdurasse usque ad sæculum* 13.

Imo cum multiplices fraudes non cessarent, et episcopi a suis subditis clericis et diœcesanis multoties vexarentur, concilium Triburiense anno 895, præsentibus Hattone Moguntino, Hermanno Coloniensi, Ratbodo Trevirensi archiepiscopis, et ipso Arnulpho Rege, memorabile decretum edidit hujus tenoris: *Si vero, quod non decet, quilibet sive sit presbyter, sive diaconus, aliquam perturbationem machinando, et nostro ministerio insidiando, redarguetur, falsam ab apostolico detulisse epistolam, vel aliud quid, quod inde non convenerit, salva fide et integra circa apostolicum humilitate penes episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem, aut*

in aliam detrudat custodiam, usquequo per epistolam aut per idoneos suæ partis legatos apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus justo ordine lex Romana statuat diffinire, ut et is corrigatur, et cæteris modus imponatur. Ex his notari meretur 1. Episcopos non accusare, minus negare potestatem Pontifici, secus hunc non potuissent in hac re constituere judicem, ut taliter reus corrigatur, et cæteris modus imponatur, sed potius Pontificis debuisset modus imponi et corrigi: sed, e contra, accusare falsitatem et falsarios, qui *falsam epistolam, vel aliud quid, quod inde non venerit,* deferunt: debet autem de tali falsitate convinci, *si redarguatur,* ideoque quæ vere et sine fraude ab apostolica sede evenerint, in hac prohibitione non comprehenduntur. 2. Etiam hunc falsarium, quamvis in carcerem detrusum, convictum, et sibi subditum non judicat episcopus, sed Papa per legatos. 3. Non obstante hac falsarii custodia, salva manet fidelitas et subordinatio Rom. Pontifici debita. 4. Agnoscunt episcopi in Papa potestatem condendi leges: *quid de talibus lex Romana statuit diffinire,* utique non *civilis,* quam Pontifex non potest *decernere,* sed *apostolica* et *canonica.* 5. Eo apertius non accusatur hìc potestas Pontificis, etiam ob intervenientem fraudem injuste exercita, sed sola falsarii malitia, quia non modo ipse Pontifex in tali caussa judex pronun-

tiatur, sed quoque hujus rei ratio exponitur, *ut is* (falsarius) *corrigatur, et cæteris modus imponatur*. Jam modo æstuante hiatu contra regularium privilegia procedit Febronius. Meum non est, illorum qualiacunque privilegia defendere; de partium studio suspectus non sum. Et certe neque Febronius, nec quisquam alius cucullam mihi detrahet : attamen Rom. Pontificis potestatem vindicare animus est.

Febronius, dum in regularium potestatem prædicandi et absolvendi calamum acuit, et multi alii, clericos et animarum curatores a primæva Ecclesia in eodem statu, quo nunc sunt, semper fuisse, illam vero regularibus non nisi ex privilegio competere, atque de se curæ animarum omnino incapaces esse supponunt.

Verum qui ita sentiunt, profecto totam historiam ecclesiasticam et SS. Patres negligere, vel omnino ignorare dicendi sunt. Juvat in hunc finem isto loco pauca præfari, quæ dein regularibus objiciuntur, sequenti paragrapho diluere.

Apostolos non eam, quam nunc clerici vivunt, vitam, sed monasticam, non quidem professione, ut nunc fit, sed observantia sectatos fuisse, quæ tamen curæ animarum conjuncta erat, testantur antiquissimi SS. Patres et scriptores, auctor libri de eccles. hierarch. Eusebius, Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Possidius etc. etc. Cassianus collat. 18, cap. 5, ait : *Cænobitarum disciplina a tempore prædicationis apos-*

tolica sumpsit exordium. S. Ivo epist. 215, testatur : *in primitiva Ecclesia nullus constitutus est rector animarum, nisi de communi vita assumptus*. Talem regularem vitam S. Marcus Alexandriæ clericis suis proposuit, instituitque, teste Thomassino et aliis. Ad hoc exemplum apostolorum cum clericis suis imitandum S. Gregorius M. hortatus est Augustinum primum Angliæ episcopum : idem suis discipulis imitandum proposuêre SS. Benedictus et Augustinus, quisque in sua regula. Ex quo sic argumentari licet : nunquam SS. Patres exemplum apostolorum monachis imitandum proposuissent, nisi ipsi apostoli vitam monasticam seu regularem ipso opere exercuissent : nunquam etiam clericis idem apostolorum exemplum proposuissent, nisi vita talis cum animarum cura sociari posset.

S. Athanasius multum laboravit, ut Dracontio monacho etiam nolenti episcopatum persuaderet, multis aliorum monachorum exemplis allatis : *neque tu solus*, ait, *ex monachis es constitutus. — — Nosti, Serapionem monachum esse. — — Nosti Agathonem, et Oristonem : memor es Ammonii cum Serapione. Audiisti de Cue, de Paulo et aliis multis*. Dein proponit exemplum S. Pauli et cæterorum apostolorum, quorum successores sunt episcopi.

S. Paphnutius, teste Cassiano, collat. 6, cap. 1, presbyter erat, et alios suos monachos in diaconos et presbyteros ordinari fecit. Ipse quoque

Cassianus abbas et presbyter, et multi alii monachi in Scythiæ solitudine presbyteri erant.

SS. Basilius, Gregorius Nazianz. Chrysostomus, Amphilochius etc. ipsi monachi erant, si non proposito, saltem vitam monachalem et regularem sectati sunt : si igitur cura episcopalis cum vita aut perfectione monastica ab his viris sociari poterat, cur cura parochialis non possit? ipse S. Basilius monachos e suis cellis ad suam domum et Ecclesiam episcopalem evocavit, inde clerum formavit, atque monachos clericos, aliorum quoque saluti intentos, a monachis sui solius curam gerentibus distinxit, illosque canonicos appellavit. Idem S. Chrysostomo, suo in monachatu sodali exprobravit, quod ad episcopatum electus se occultaverit. Dum narrat Palladius in vita S. Chrysostomi ex quodam monasterio, ubi 150 monachi erant, septem vel octo ad episcopatum a Theophilo accersitos fuisse, addit Thomassinus lib. 3, cap. 13, n. 12: *Erant et 200, sub alterius abbatis ditione, quorum multi etiam episcopali sarcina decorati sunt. Si tam multi ad episcopatum adsciscebantur monachi, quanto plures ad presbyteratum, plures ad diaconatum?* Teste Sozomeno l. 6, cap. 13, in urbe Rhinocorura clerici vitam monachalem seu regularem professi sunt, et l. 8, cap. 17, Rufinus in suburbio Chalcedonensi monachos in vicino collocavit, qui Ecclesiæ clerum supplerent. Certe tot monachi non frustra, et sine caussa,

tolicæ sumpsit exordium. S. Ivo epist. 215, testatur : *in primitiva Ecclesia nullus constitutus est rector animarum, nisi de communi vita assumptus.* Talem regularem vitam S. Marcus Alexandriæ clericis suis proposuit, instituitque, teste Thomassino et aliis. Ad hoc exemplum apostolorum cum clericis suis imitandum S. Gregorius M. hortatus est Augustinum primum Angliæ episcopum : idem suis discipulis imitandum proposuêre SS. Benedictus et Augustinus, quisque in sua regula. Ex quo sic argumentari licet : nunquam SS. Patres exemplum apostolorum monachis imitandum proposuissent, nisi ipsi apostoli vitam monasticam seu regularem ipso opere exercuissent : nunquam etiam clericis idem apostolorum exemplum proposuissent, nisi vita talis cum animarum cura sociari posset.

S. Athanasius multum laboravit, ut Dracontio monacho etiam nolenti episcopatum persuaderet, multis aliorum monachorum exemplis allatis : *neque tu solus*, ait, *ex monachis es constitutus.* — — *Nosti, Serapionem monachum esse.* — — *Nosti Agathonem, et Oristonem : memor es Ammonii cum Serapione. Audiisti de Cue, de Paulo et aliis multis.* Dein proponit exemplum S. Pauli et cæterorum apostolorum, quorum successores sunt episcopi.

S. Paphnutius, teste Cassiano, collat. 6, cap. 1, presbyter erat, et alios suos monachos in diaconos et presbyteros ordinari fecit. Ipse quoque

Cassianus abbas et presbyter, et multi alii monachi in Scythiæ solitudine presbyteri erant.

SS. Basilius, Gregorius Nazianz. Chrysostomus, Amphilochius etc. ipsi monachi erant, si non proposito, saltem vitam monachalem et regularem sectati sunt : si igitur cura episcopalis cum vita aut perfectione monastica ab his viris sociari poterat, cur cura parochialis non possit? ipse S. Basilius monachos e suis cellis ad suam domum et Ecclesiam episcopalem evocavit, inde clerum formavit, atque monachos clericos, aliorum quoque saluti intentos, a monachis sui solius curam gerentibus distinxit, illosque canonicos appellavit. Idem S. Chrysostomo, suo in monachatu sodali exprobravit, quod ad episcopatum electus se occultaverit. Dum narrat Palladius in vita S. Chrysostomi ex quodam monasterio, ubi 150 monachi erant, septem vel octo ad episcopatum a Theophilo accersitos fuisse, addit Thomassinus lib. 3, cap. 13, n. 12 : *Erant et 200, sub alterius abbatis ditione, quorum multi etiam episcopali sarcina decorati sunt. Si tam multi ad episcopatum adsciscebantur monachi, quanto plures ad presbyteratum, plures ad diaconatum?* Teste Sozomeno l. 6, cap. 13, in urbe Rhinocorura clerici vitam monachalem seu regularem professi sunt, et l. 8, cap. 17, Rufinus in suburbio Chalcedonensi monachos in vicino collocavit, qui Ecclesiæ clerum supplerent. Certe tot monachi non frustra, et sine caussa,

neque ad nullum ministerium ordinabantur, neque monasteria pro suo sacro ministerio et cura tot egebant clericis et presbyteris : igitur ad curam aliorum erant destinati, et recte dixit Thomassinus; si ex monachis tot episcopi ad curam animarum sunt vocati, multo magis plures adhuc presbyteri et diaconi. Hinc etiam, teste Baronio ad ann. 398, Honorius et Arcadius imperatores sanxerunt, *si quos forte episcopi deesse sibi clericos arbitrantur, ex monachorum numero rectius ordinabunt.* Et Siricius P. epist. 1, cap. 13, statuit : *monachos, quos tam morum gravitas, et vitæ ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregari et optamus et volumus.* Quod posteriores SS. Patres Hieronymum, Ambrosium, Augustinum etc., attinet, res omnibus notissima est. Hieronymus epist. 2, ad Nepotian. scribit : *omnes delicias — — in sæculi hominibus detestamur, quanto magis et in monachis et in clericis, quorum et sacerdotium proposito, et propositum ornatur sacerdotio.* Hic monachos cum clericis, et sacerdotium cum monachatu conjungit, et unum ab alio ornari dicit; epist. vero 3, ad Rust. ait : *ita ergo age, et vive in monasterio, ut clericus esse merearis, cum ad perfectam ætatem veneris, si tamen vita comes fuerit, et te vel populus, vel pontifex civitatis in clericum elegerit, agito, quæ clerici sunt, et inter ipsos sectare meliores.* De S. Eusebio Vercellensi scripsit S. Ambrosius, vel, ut alii putant, S. Maxi-

mus Turonensis: *eosdem monachos instituit, quos clericos*. De S. Augustino legitur apud Possidium in vita ejus: *factus presbyter monasterium clericorum mox instituit, et cœpit vivere secundum regulam sub Sanctis apostolis constitutam.*

Ex his omnibus aperte concluditur, monasteria in veteri Ecclesia fuisse quasi seminaria clericorum et episcoporum, quod in oriente maxime tenuit, in occidente vero ut plurimum usque ad sæculum XI, ita ut clericus *sæcularis* tum erat novum et inauditum nomen, atque canonici cathedrales, abjecta regulari vita, primitus dicerentur *irregulares*, uti est apud Gerohum, vel *nomine et conversatione sæculares* apud Trithemium ad ann. 977, pag. 37. Constat proin, monachos et regulares non solum curæ animarum capaces atque idoneos esse, sed et eorum institutum secundum se ab ipsis apostolis derivari, atque hodiernos clericos et animarum curatores magis ab ipsis regularibus, quam hos ab illis descendere. Ideo Siricius P. monachos clericorum officiis aggregari non tantum optavit, sed et voluit, atque eorum idoneitas ad animarum curam in tantum episcoporum æmulationem accendit, ut concilium Carthaginense V, can. 13, necesse habuerit prohibere, ne episcopus monachum de alterius, quam suo monasterio, ad clericatum promoveret, ex quo *nemo non intelligit*, ait Thomassinus lib. 3, cap. 13, n. 10, *quam cuperent Africani episcopi, ut ex*

15*

monasteriis occurrerent aliqui iis exculti virtutibus et disciplinis, quibus tuto sacerdotium committeretur, et quam impatienter ferrent, si quos ipsi aluissent, et perpolissent monachos, alii episcopi in ecclesias suas transferrent.

Attamen non dico, omnes omnino regulares et monachos sacris ordinibus et presbyteratu initiatos, atque ad curam animarum destinatos fuisse; nimis numerosa enim millia pro tali officio fuissent: qui non requirebantur, labore manuum, et in monasterio habebant, quo sustentabantur: permulti, uti vidimus, ita solitudine et quiete delectabantur, ut non nisi vi, hortatu et jussu ad onus alienæ salutis suscipiendum pertrahi possent, multi fugerent, latitarentque; inde evenit, ut alii, probatæ tamen vitæ, laici ad officium clericatus assumerentur, sic tamen assumpti communem et quasi regularem cum suo episcopo et aliis vitam tenere debebant. Sic S. Augustinus serm. 356, talem, qui non vult vitam in communi tenere, sed de proprio vivere, non solum a communitate ejicit, sed et a clericatu amovet; *parum est*, ait, *ut dicam, non mecum manebit, sed et clericus non erit.*

Porro ex supra dictis etiam facile patet, qualiter SS. Patres monachis sæpe suum propositum, solitudinem, quietem et curam propriæ salutis ob oculos ponere, atque ne aliorum curæ et negotiis ecclesiasticis se ingerant, adhortari solebant, nempe non ideo, ne clerici unquam essent, aut

esse possent, sed ad eos hæc dicta spectabant, qui clerici et animarum curatores non erant, et esse nolebant, et ad omnes, ne clericatum, officium sibi periculosius, ambirent, et solitudini, propriæque salutis curæ præhaberent : profecto secus ista cum superioribus Patrum dictis conciliari non possent. In horum omnium confirmationem sufficiant tibi Thomassinus, Mabillonius, et qui plura de his colligit auctor libri *de monachorum cura pastorali per omnia Ecclesiæ sæcula*, ubi omnia contraria argumenta plausibiliter dissolvit.

Jam diximus; illa disciplina in oriente fere semper tenuit : in occidente vero a SS. Augustino et Eusebio Vercellensi restaurata, rursum deferbuit; attamen in tantum Ecclesiæ utilis et primævæ observationi consentanea videbatur, ut Pipinus et Carolus M. in suis capitularibus ordinarent, quod quilibet clericus aut canonicus, aut monachus esset, id est, ad regularem vitam adstrictus foret, uti est apud Heineccium, quod itidem in concilio Vernensi anno 757, can. 11, statutum fuit. Chrodegangus episcopus Metensis hanc disciplinam iterum plurimum promovit, sed ætatem non tenuit, cujus caussas, motiva et circumstantias hic enumerare nec tempus, nec locus suppetit.

Equidem abs regularium adversariis maxime opponitur canon 4, concilii Chalcedonensis, ubi dicitur, *nullum* monachum *ædificare, nec con-*

struere posse monasterium, vel oratoriam domum præter sententiam ipsius civitatis episcopi; monachos autem episcopo subjectos esse, et quietem amplecti, et soli jejunio et orationi vacare, in quibus ordinati sunt locis fortiter perseverantes, nec ecclesiasticis, nec sæcularibus negotiis se ingerere, vel communicare, propria relinquentes monasteria, nisi quando a civitatis episcopo eis permissum fuerit. Verum concilium in dicto canone 4, aperte loquitur de monachis circumcursantibus, qui proprie monachi non erant, sed tales esse se fingebant, *monachico habitu et prætextu utentes, circumeuntes indifferenter urbes, nec non et monasteria sibi instituere tentantes,* uti ait concilium, tales autem tum temporis plures erant. 2. Solitudo, quies monachis præcipitur, qui ab episcopo ad clericatum vocati non sunt; nam, ut dixi, non omnes monachi erant clerici, nec etiam esse volebant, nec poterant ob ingentem eorum numerum. 3. Ex ultimis hujus canonis verbis satis indicatur, veros monachos ab episcopis ad clericatum et negotia ecclesiastica e monasterio evocatos fuisse. Quod si concilium credidisset, vitam monasticam cum cura animarum sociari non posse, nunquam potuisset permittere, ut monachi etiam de licentia episcopi ecclesiasticis negotiis se ingererent, et pastoralem curam exercerent. 4. In eodem concilio multi episcopi et presbyteri, uti notum est, monachi fuerunt, subscripseruntque; quomodo ergo

monachos ejusdem officii incapaces declarare poterant, quod tamen ipsi gerebant? 5. Scimus, Eutychetem abbatem per suam hæresin huic concilio ansam dedisse, qui cum suis factione cœpta multas turbas et tumultus in Ecclesia eo tempore excitavit, de quibus et similibus loquitur concilium, et tamen, hoc non obstante, ea moderatione Patres usi sunt in figendo canone, quo similibus deinceps tumultibus obviam irent, ut tamen episcopis facultatem reliquerint præficiendi monachos ecclesiasticis muniis, quoties expedire judicaverint.

Neque existimes, hoc solum de casu necessitatis intelligendum esse; nam de hac necessitate nec verbulo meminit concilium, imo nec cleri defectum supponere potuit, quia can. 23, idipsum clericis simul et monachis, quod supra can. 4, solis monachis prohibet, ne vagabundi clerici et monachi, *quibus nihil a proprio episcopo mandatum est, turbas excitantes, et statum Ecclesiæ perturbantes, aliquorum domos subvertant.* Ex quibus satis patet, de quibus clericis et monachis sermo sit.

Interim hæc sufficiant ad demonstrandum, falso a Febronio, aliisque supponi, quod regulares curæ animarum de se sint incapaces, aut quod eam primis sæculis, et a temporibus apostolorum usque nullibi exercuerint.

Post hæc si Febronio suus honor cordi est, testem non e latebris contra regulares produxis-

set *Petrum Aurelium*, qui alius non est, quam famosissimus ille Vergerius, dictus Abbas San-Cyranus, qui in eo opere non nisi invidiam, furorem, calumnias in omnes religiosos ordines spirat. Scio equidem, quod ipse de hoc libro suo sibi scripserit elogium, nempe quod a 600 annis non prodierit melior : scio, et alios eidem scripsisse elogium : scio insuper, quod clerus Gallicanus anno 1641, illum imprimi jusserit suis sumptibus, et novem librarum millibus constiterit editio, atque illa a Rege suppressa, quidam prælati rursus recudi curaverint. At scio etiam non solum opus a Rege suppressum fuisse, typographo in custodiam dato, sed ipsum San-Cyranum quoque Regis, sanctiorisque consilii mandato, in carcerem Vincennensem detrusum fuisse, dicente ejus fautoribus cardinali Richelio, Germaniam et Galliam ex integro adhuc catholicas fore, si Lutherus et Calvinus in tempore fuissent missi in locum, ubi amplius nocere non potuissent. Post mortem hujus cardinalis, quidem a carcere, sed non nisi sub certis conditionibus liberatus fuit. Hoc ergo opus *Petri Aurelii* ad libellos famosos pertinet, quod opus non est refellere. Interim

Ad 1. Respondeo : hæc propositio, *Papa non habet curam et directionem singularium ovium*, catholica non est, et aperte adversatur verbis Christi Joan. 21. *Pasce oves meas*, *pasce agnos meos*. Nunquid singulæ oves ejus curæ Petri

concreditæ sunt? superfluum foret, in re tam aperta adhuc Patrum testimonia afferre, qui omnes verba Christi de omnibus et singulis ovibus intelligunt. Neque effugiet Febronius per suam distinctiunculam, *sollicitudinem omnium Ecclesiarum, sed non immediatam curam et directionem singularium ovium :* neque etiam per voculam *immediatam*. Nam in textu nec verbum de *mediata* tantum cura et directione, nihil de episcopis et pastoribus inferioribus, nihil de diœcesium divisione et singularium Ecclesiarum constitutione habetur, neque etiam intelligi potest; neque integrarum tantum *Ecclesiarum*, sed *ovium* curam Petro commisit Christus, atque simpliciter *de ovibus* loquitur : nihil autem excipitur, ubi nihil distingitur, ait D. Bernardus in hunc locum. Profecto in hoc lapsum fuisse Febronium ego potius credidissem, nisi ipse præfracte affirmaret, se *id toto suo opere probasse.* Probavit itaque non veritatem, non doctrinam catholicam, sed sententiam verbis Christi, SS. Patrum et Ecclesiæ sensui aperte repugnantem. Atque hoc solum sufficit, Febronio in suo opere et fidem et omnem auctoritatem denegare.

Ad 2. Potestas Pontificis nequaquam ex falsis decretalibus, sed ex verbis Christi probatur, atque per sententias Patrum, Ecclesiæ sensum et praxin explicatur. Hoc a nobis contra Febronium sedulo factum fuit. Quod si igitur privilegium fidelium confessiones in alienis diœcesibus exci-

piendi, regularibus mendicantibus concessum intelligas cum prævia approbatione proprii episcopi in sua quavis diœcesi, nihil novi, nihil miri, nihil inconveniens inde deduces : si absque tali licentia et approbatione, profiteor esse privilegium novum, et quidem inauditum. Sed utique caussa adfuerit, et tum fors magna necessitas fuit? annuit Febronius : *si hoc ita est*, inquit, *non abnuo.* Verum sic ibi et suo systemati aperte contradicit, atque eodem momento profitetur, Papam jure primatus divini habere et non habere potestatem in alienos diœcesanos, et in singulas oves. Quod si vi primatus hanc potestatem nullatenus habet, nec etiam tum habebit, quia necessitas non tribuit potestatem et jurisdictionem, quam quis aliunde non habet.

Neque hìc ad universalem episcopatum recurras; quod enim universale et omnibus episcopis commune est, idipsum ad primatum non pertinet, qui unus et singularis est : igitur Papa nec in necessitate vi primatus succurrere, et oves sibi concreditas pascere posset. Vides iterum contradictionem.

Nihilominus Febronius hanc potestatem Papæ in magna necessitate concedit, ita tamen, ut audiret libentius eum, *qui apte probaret hoc, quam qui gratis et sine ratione assereret.*

Possem hìc historiam illorum temporum, facta et exempla singularia, quin et testimonia probatorum scriptorum afferre, quibus ea necessitas abunde

demonstraretur, nisi modestia ac reverentia statui ecclesiastico debita suaderent, vulnera et deformitates, quæ in clero erant, nullibi detegere, et longe congruentius Febronius non provocasset ad probationem, sed ipsus ea legisset, in historia utique nusquam adeo peregrinus. A particularibus igitur abstineo : sufficiant ea, quæ publicis in conciliis ordinata sunt, ut quis de vita, moribus, vitiis etc. tum clericorum tum laicorum illorum temporum apte judicare possit.

De sæculo 13, nobis sermo est, ubi inauditum illud privilegium a Gregorio IX, emanasse dicitur. A Germania incipio.

Anno 1225, celebratum fuit *concilium Moguntinum*, præside legato apostolico, potissimum contra simoniacos et concubinarios clericos. Anno sequenti in *concilio Leodiensi* accusati, depositi, Romamque missi sunt Theodoricus Monasteriensis et Engebertus Osnabrugensis episcopi ob cædem S. Engeberti et alia crimina. *Coloniense I*, anno 1260. Iterum in clericos concubinarios et simoniacos advertit; statuitur, ut clerici saltem legere et cantare sciant : ipsis residentia præscribitur.

In *concilio Viennensi* in Austria anno 1267, concubinarii beneficiis privantur, curati ad residentiam subtractione fructuum compellantur. Nempe suas oves pro libitu relinquebant, substituendo vicarios temporarios, qui conductitii aut mercenarii dicebantur, cum exigua pensione,

et si alius supervenerat, adhuc minori contentus, huic tota cura animarum relinquebatur, qualiscunque deïn fuerit. Idem statuitur in conciliis Salisburgensi II, anno 1274. Herbipolensi anno 1287, Coloniensi anno 1280. Pariter in dicto concilio Viennensi contra laicos ordinatur: *cum in plerisque locis quorumdam laicorum iniquitas invaluerit, quod in rebus Ecclesiæ furtum reputatur sagacitas, rapina probitas, et violentia fortitudo, synodali judicio diffinimus etc.* Ita tum Viennenses Patres loquebantur: similia sicut et de homicidiis, adulteriis, rapinis et bonorum ecclesiasticorum direptionibus etc., eo tempore fere in omnibus conciliis occurrunt.

In Gallia in concilio *Montpelliensi*, anno 1214, præside apostolicæ sedis legato, ordinatur, ne canonici aut clerici utantur veste rubri vel viridis coloris, ne usuras et negotiationes exerceant, ne laico beneficium ecclesiasticum conferatur.

In concilio *Narbonensi*, anno 1227, publici usurarii, incestuosi, concubinarii, adulteri, raptores, testamenti suppressores publice in Ecclesia excommunicari præcipiuntur.

In *Rothomagensi*, anno 1231, concubinæ presbyterorum publice in Ecclesia tondeantur.

Turonense I, eodem anno statuit, ut a curatis juramentum exigatur, quod pro beneficio obtinendo nihil ab ipsis vel aliis fuerit datum aut promissum: ad personalem residentiam com-

pellantur. Similia inveniuntur in aliis Galliæ et Hispaniæ conciliis.

In Anglia, in concilio *Londinensi*, anno 1233, statutum fuit, præside Ottone cardinali legato apostolico, ut confessarii gratis confessiones audiant, curati et clerici resideant. Similia in alio concilio *Londinensi*, anno 1268, statuuntur, præcipue circa concubinas, residentiam, sacramentorum administrationem gratis faciendam. Taceo alia concilia, et inter ea Hungarica, Polonica, Danica, Suecica.

Sufficit interim adhuc concilium œcumenicum Lateranense IV, anno 1215, celebratum inspicere, ex quibus omnibus satis quis dijudicare poterit, ob vitia, scandala, ignorantiam, inhabilitatem, defectum zeli in clero, tunc curam animarum vel laxius, vel male, vel omnino non administratam, et eo ipso minorem in fidelibus confidentiam ac reverentiam erga clerum et proprios pastores fuisse.

An ergo Ecclesiæ tum utile ac necessarium non fuit, alios sanctiori spiritu et majori zelo accensos in vinea Domini operarios, illis mercenariis et indignis etiam invitis, submittere, qui saltem e cathedris per conciones et in tribunali sacro fideles ad meliorem et vere christianam vitam atque gratis instruant? Imo hanc necessitatem demonstrat, quod ipsi episcopi hos novos operarios a Papa submissos passim libenter et cum fructu receperint, quod factum non fuisset, si iis nullatenus indiguissent.

Si quæras, utrum *necessitas talis quidem fuerit, quæ se etiam ad futurum tempus extenderit?* Respondeo : eo usque se extendit, quo se ignorantia, desidia, vel defectus zeli in clero, aut diffidentia in fidelibus se extendebat. Hoc vero in historia succedentium temporum legi poterit. Per hæc tamen neutiquam assevero, quod nulli tandem successu temporis hos ipsos regulares nævi incesserint, quod semper primævo zelo et spiritu fuerint accensi; quod omnes omnino ad tantum opus fuerint habiles, atque idonei; quod desidia, ignorantia etc., ita totum reliquum clerum pervaserit, ut nulli omnino ex eis fuerint digni atque zelosi animarum curatores. Longissime hoc absit. Hinc minus etiam approbo, quod mendicantes vi talis privilegii extra terras infidelium et hæreticorum absque prævia approbatione episcopi se directioni animarum et confessionibus excipiendis pro libitu potuerint ingerere, aut quod episcopi in eorum idoneitatem, quoties necesse fuerit, inquirere non valuerint, vel quod mendicantes munia parochialia, juste invito parocho, peragere possint; tale enim privilegium ad ædificationem, in bonum Ecclesiæ et animarum, non ad destructionem datum esse intelligitur. Quare, non obstante hoc privilegio, episcopi mendicantibus facultatem excipiendi confessiones sine eorum approbatione juste contradixerunt, denegaruntque, quod etiam universalis concilii decreto firmatum fuit.

Nihilominus, quæ postmodum affert, et quibus supra allegatæ necessitatis argumentum plurimum infirmari putat Febronius, ut plurimum etiam vera non sunt. Quippe, quamvis non pauciores post Gregorium IX, fuerint presbyteri parochiales, quam ante erant, tamen de eo non quæritur, quot, sed quales fuerint? et utrum fidelium confessionibus tot idonei fuerint, qui suffecerunt? utrum hi ipsi huic muneri, et quidem gratis obeundo sedulo fuerint intenti? novimus quoque ex variis conciliis, multos curatos ne quidem in suis parochiis resedisse.

Dein quis S. Augustinum cum monachis in Angliam, quis S. Bonifacium in Germaniam, et alios in alias provincias misit apostolos, nisi SS. Gregorius M. Gregorius II et Zacharias summi Pontifices, ut alios taceam. Et Febronius audet quærere, quis Papa ante sæculum XIII, per singulas orbis christiani provincias, diœceses, parochias miserit unquam monachos ad fidelium confessiones excipiendas et pœnitentiam imponendam? constat utique, Germaniam, Angliam, Daniam, Sueciam, a monachis et viris regularibus ad fidem esse conversam, ab his erectas esse ecclesias cathedrales, et multas parochias, ab his ibidem ordinatos esse clericos, a regularibus primitus in his regionibus exercitam fuisse curam animarum adeo, ut abbates in concilio Dingelfingano (cujus concilii aliqua capita Aventinus manifeste depravavit) protestari compulsi

sint, ne monachi in futurum ab episcopis ad obeundas parochias cogerentur; ex quo patet, quod monachi et regulares in patria pleraque beneficia clero sæculari cesserint, et hic potius in laborem et messem illorum introierit, ut immerito regulares modo a clericis sæcularibus contemnantur, vel quavis potestate ejiciantur; unde etiam illa communis beneficialistorum regula, *omne beneficium ex institutione sua et natura regulariter sæculare esse præsumitur*, in Germania et omnibus regnis, quæ a regularibus ad fidem conversa sunt, certam exceptionem patitur. Habes igitur in his traditionem, habes disciplinæ exemplum, cujus adhuc plura tibi suppeditabit supra cit. auctor *de monachorum cura pastorali etc.*

Ad. 3, 4 et 5. Non ignoramus illa dissidia; sed utrum justo zelo, an æmulatione, odio vel invidia exorta fuerint? hoc disquirendum foret. Attamen de hoc disserere et modestia et reverentia erga utrumque clerum prohibent, atque Febronio etiam prohibere debuissent. Equidem autumo, fors etiam regulares per hoc illis dissidiis ansam præbuisse, quod absque respectu episcopis debito vel sua privilegia amplius, quam par erat, dilatarent, vel tenacius inhærerent.

Nihilominus ostendam, duo omnino falsa esse, quæ Febronius cum suo Suavi ex Tridentino tanquam certa proponit, nempe *plures* ex Patribus

institisse, ut privilegia regularium omnimodo revocarentur; at restitisse *ordinum generales, eorum patronos, et maxime curiales.* Dein huic revocationi ab his ideo obstitum fuisse, quia innitebantur *plenitudini potestatis Pontificiæ*, quam mendicantes eo ipso, quod sua privilegia, tanquam horum basin et fundamentum propugnabant.

Narrat Pallavicinus ex genuinis actis, uti ipse testatur, lib. 7, histor. concil. Trident. cap. 4, num. 3, Fesulanum episcopum acerbe conquestum fuisse, quod liberum esset regularibus, neque missis, neque vocatis, in suis cœnobiis per episcoporum diœceses concionari, *quod*, exclamavit, *quidnam est aliud, o Patres, nisi permittere, ut lupi non per ostium, sed aliunde ingressi, ovile perturbent.* Dein etiam ad divinum tribunal provocavit.

Jam verum est, quod aliqui adhuc ante ordinum generales regularium patrocinium susceperint, et inter hos Thomas Caselius Dominicanus Britinariensis episcopus: *omnes*, inquit, *reminiscamur, oportet, Rom. Pontificem universi christiani gregis episcopum esse, et unumquemque nostrum in partem sollicitudinis solum vocari, prout sacri canones loquuntur. Proinde non minus intrat per ostium legitimum ovilis, quicunque in diœcesin aliquam a Pontifice mittitur, quam qui ab ejusdem diœcesis episcopo peculiari mittatur. Nec conquerantur antistites id, quod ipsorum vitio*

contingit, non injusta regularium usurpatione. Illi si docendi, si concionandi munus explevissent, hi solitaria sua quiete se plane continuissent, divinis occupati laudibus, intentique placando sibi, aliisque Deo per voluntaria corporis animique supplicia. Nostra socordia, ne dicam, ignorantia, ab apostolica sede privilegia regularibus impetravit: ipsi totum nostri ministerii pondus sustinent, nos proventibus, nos illius honoribus fruimur, et tamen conquerimur. Hisce Caselii dictis, ait Pallavicinus, quæ pene ex actis descripsimus, *Senatus communiter assensus est.* Si hoc: igitur non soli *curiales Romani, ordinum generales*, et eorum *patroni* regularibus patrocinabantur. Equidem scimus, plura adhuc in hanc rem ultro, citraque dicta fuisse, ita tamen, ut in fine plures Patres regularibus faverent.

Frustra hìc oppones iterum, Patres Tridentinos Isidori decretalibus deceptos fuisse: nam nihilominus falsum manet, solos ordinum generales, eorum patronos et curiales pro regularibus stetisse. Dein *plenitudinem potestatis Pontificiæ* nos sæpe jam non ex Isidori decretalibus, sed genuinis testimoniis et argumentis invicte probavimus: hæc argumenta non ignorabant Patres Tridentini; unde vana et injuriosa est tua objectio.

Quod vero regulares Pontificiam auctoritatem sustentarint, hanc non solam caussam fuisse, quod

aula Romana eos privilegiis donaverit, iisque patrocinaretur, contra Suavem ostendit Pallavicinus ibidem cap. 5, num. 17, a quadringentis annis, ait, observetur, an regulares, qui respectu totius christianitatis vix modicam particulam efficiunt, non decuplo numero ediderint ecclesiæ theologos præstantiores, et viros sanctimonia illustriores? quis superioribus sæculis et tempore Caroli M. disciplinas in lucem revocaverit? quorum calamis hæreses confutatæ? quis apud infideles fidem sudore et sanguine disseminaverit? æquiorem in regulares ipso Suavi esse Nicolaum Machiavellum lib. 3, dissert. in Livium, cap. 1.

Similia et alia adhuc Pallavicinus pro defensione regularium affert lib. 8, cap. 17, num. 11, quæ sicut vera, ita et satis gravia sunt ad calumniantium ora obstruenda atque ad ostendendum, longe alias et justas caussas fuisse, unde illi talia privilegia meruerint. Ibi etiam ait, sane parum vel nihil actum fuisse id temporis in concilio de abrogandis regularium immunitatibus, sed potius majorne, minorve tribuenda esset episcopis auctoritas, regulares in quibusdam conditionibus puniendi? taceo, quod Fesulanus, ob suam in regulares et eorum privilegia vehementem orationem, publice ignominiam, et accusationem de calumniis, contumeliis, seditione, schismate reportaverit. At tacere non possum, quod concilium Tridentinum sess. 6, cap. 5, de refor. conformiter ad alia antiquiora concilia statuit:

Nulli episcopo liceat, cujusvis privilegii prætextû, Pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem ordinario subjectas tantum, si secus factum fuerit, episcopus ab exerçitio Pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso jure suspensi. Hæc ipsissima doctrina ac disciplina est, cui non minus Rom. Pontificem, quam quemvis alium episcopum subjectum esse, totis viribus contendit Febronius, sed vel hoc solo decreto ipse totus refellitur. Nam imprimis certum est, Patres in hoc decreto condendo, de Rom. Pontifice ne cogitasse quidem, minus eum voluisse comprehendere, quia plures hinc inde ejus potestatem in universos fideles, et ipsos episcopos publice professi sunt, et si eum comprehendere voluissent, etiam nominatim declarare debuissent, dum in fine salvam in omnibus decretis declaraverint apostolicæ sedis auctoritatem. Dein dici non potest, Patres in hac caussa falsis decretalibus dementatos fuisse, cum istud decretum non conformiter ad has, sed ad antiquissima concilia conceptum fuerit, atque Patres et theologi, uti ex actis abunde constat, in decretis condendis, non falsas decretales, sed scripturam, traditionem, antiquos canones, SS. Patres præ oculis habuerint, allegaverintque. Quando igitur per hoc decretum sensum et praxin Ecclesiæ declaravit concilium, atque in eo nihilominus Papam non comprehendit, Febronius per hoc so-

lum decretum cum tota sua doctrina erroris condemnatur.

Ex his jam consequitur, ineptam esse glossam Febronii ad verba Thomassini, quia usus plenitudinis Pontificiæ per se non turbat, nec turbare debet bonum pacis, multo minus *substantialem* in sacra hierarchia alterationem factam fuisse, dici potest, quanquam in disciplina, non tamen sine caussa, imo nec sine necessitate quædam mutatio facta sit.

Ad 6. Si Jesuitæ vel alii in Gallia decreto 15, sess. 23, concilii Tridentini de reform. se ideo non ligari sustinebant, quod decreta reformatoria in Gallia recepta non sint, etiam in systemate Febroniano haud inanis, quin potius justa fuisset exceptio, neque illis pro culpa imputari posset; quippe in ejus doctrina, populi, status, provinciæ etc., decreta concilii generalis, quoad disciplinam et reformationem, recipere non tenentur, et sine receptione non obligant : jesuitæ autem non erant in caussa, quod decreta Tridentini recepta non fuerint; et cur hi soli se illis submittant, cæteris suam libertatem opponentibus, tenentibusque? Quod spectat aliorum doctorum opiniones, legisset Febronius declarationes cardinalium concilii Tridentini interpretum, et vidisset utique, utrum, et quantum illæ a spiritu et sensu concilii discordent, et an regulares Tridentinum absque fundamento juxta sensum sibi faventem interpre-

tentur? *Plenitudinem* autem *potestatis Pontificiæ* Febronius suis male applicatis historiunculis, mordacibus glossis, et imperitorum, sæpe male affectorum, vel etiam notatorum hominum testimoniis (nam talia ut plurimum ejus argumenta sunt) nondum exhausit.

Ad 7. Totus iterum extra rhombum vagatur Febronius. Statum Ecclesiæ et cleri ponit, atque supponit, qualis tunc non fuit: ponit in clero et in animarum pastoribus præcipue scientiam, bonum exemplum, zelum, sollicitudinem, experientiam, discretam atque prudentem spiritus directionem, opinionum et doctrinæ uniformitatem, disciplinam optime ordinatam. Fateor, hæc si fuissent, regularium cura et opera superflua fuissent: at, ut supra vidimus, ea non fuerunt, quin pastores etiam parochi in suis parochiis sæpe ne quidem residebant, suas non agnoscebant oves, et quandoque ab his nec ipse pastor noscebatur. Universim apud plures etiam inferiores pastores tunc temporis id verum fuit, quod supra de episcopis publice ausus est dicere Thomas Caselius Britinoriensis episcopus. Sed quid jam nunc? Ubi post concilium Trindentinum in clero exactior viget disciplina, major scientia, amplior zelus etc.

Respondeo: populi jam ab illis temporibus assueverunt regularium directioni saltem in sacro tribunali, et salutarem sibi experti sunt: num illis hoc remedium aut solatium denegandum?

deficit non raro in parochianis varias ob caussas sive merito, sive immerito confidentia erga suos pastores, etiam quandoque bonos atque zelosos in ordine ad sacras confessiones faciendas : num illorum conscientiis vis injicienda cum periculo sacrilegiorum et animarum? Regulares eo tempore, quo eorum opera et ministeria adhuc magis necessaria erant, omnem laborem et sudorem in profligandis hæresibus, in convertendis animabus, in erudiendis populis, in edocenda juventute, in cura et obeundis muniis pastoralibus, in juvandis infirmis ac moribundis, periculosissimis etiam pestis, belli temporibus tam in rure, quam in civitatibus impenderunt, præcipue ubi vel nulli omnino, vel saltem inidonei pastores aderant: num ergo post laboriosam messem nunc eis falx e manibus excutienda? num amplius non sunt audiendi? vel præmii ac mercedis loco omnino abjiciendi, atque delendi sunt? Ad hæc prius apte, atque sine felle aut invidia respondeant cum Febronio hodierni regularium osores, et si respondere possint, habeo adhuc alia, quæ reponam.

Profecto invidus sit, oportet, qui contendit, in concionibus, in S. tribunali, in cura animarum hodie nullum amplius fructum a regularibus reportari, quem tamen in tot libris editis, in ore, vita, moribus tot hominum quotidie legere vales. Incommodis vero, quæ Febronius ex cura pastorali regularium suboriri existimat,

imo speciosius finguntur, post concilium Tridentinum et hodiernam episcoporum praxin satis præcautum fuit, quia illis munia pastoralia nec sine examine et approbatione episcoporum, nec contra voluntatem parochorum, imo nec sine horum licentia obire licet, et si petatur, non tantum suo superiori, sed etiam episcopo de iis rationem reddere tenentur; unde in praxi eorum privilegia fere nullum usum habent.

Ex his infertur 1. Ministerium regularium olim proprie dictæ necessitatis fuisse, modo multum adhuc utilitatis habere. 2. Nequaquam esse independens a potestate pastorali primi et secundi ordinis. 3. Si quid inconveniens, aut inordinatum ab uno, alterove contingat, facillime mederi posse, eum a talibus muniis obeundis, vel etiam a loco et monasterio amovendo, quod in simili casu cum curatis stabiliter investitis tam facile fieri non potest, et ideo hoc ipso vulnera tam prompte sanari non solent.

Ad 8. Si manifestus abusus fuit petentium communicationem privilegiorum alicui particulari ordini aut congregationi concessorum, non ideo etiam abusus fuit ex parte concedentium. Abusum fecit æmulatio, quæ petentes instigabat; nihilominus in petendo justa caussa non defuit, quæ allegari poterat, et sine justa caussa, quæ allegari debuit, nihil concessum fuit, quamvis ea fors Febronio non arrideat, vel non sufficiat. Intima ipse non semper inspexit, neque

in hac caussa judex agnoscitur : major reverentia ac fides debetur supremo Ecclesiæ capiti.

§ VIII.

Per exemptionem regularium juribus ordinariorum durum et immeritum vulnus inflictum est.

Quid de tollenda hac exceptione in concilio Tritentino actum fuerit?

Gravia motiva tam politica, quam ecclesiastica referuntur, harum exemptionum abrogationem adhucdum postulantia.

Non minor violatio jurium episcopalium contigit, subsistitque *in personali* regularium *exemptione.* Infiniti pene canones conciliorum a sæculo IX, uno consensu mandant, ut monachi obediant episcopis *secundum canonicam autoritatem :* haud dubie antiqui canones et præcipue Chalcedonensis IV, intelliguntur. Ad hos conformiter respondit adhuc Bonifacius VIII, cap. 7, *de privilegiis.* Interim multa particularia monasteria, dein integri ordines *Cisterciensium* per Alexandrum III, *Prædicatorum* ac *Minorum* per Innocentium III, et Honorium III. Et tandem *Minimorum* et *Jesuitarum* ordinariæ jurisdictioni episcoporum successive erepta sunt.

Sed mox ortæ sunt episcoporum querelæ et

gravamina. Prætermissis, quæ studiose collegit Launoius, in concilio Viennensi actum fuit de revocandis exemptionibus, in concilio Tridentino aliquoties, præsertim die 6 Septembris, anno 1563. Sed vicit Pontificia eximentis fortuna ac potestas.

Agnoscebantur in sequelis abusus universalis episcopatus Romani, quem, nondum detecta falsitate Isidorianorum epistolarum, Patres debellare non poterant.

Post hæc auctor rationes politicas cardinalis Pallavicini ex lib. VIII, cap. 17, num. 11, et lib. XII, cap. 13, num. 8, affert, quibus opponit querelas D. Bernardi lib. 3, de consid. cap. 4, *perturbari terminos, confundi ordinem, mutilari diœceses et ecclesias membris, tolli cum læsione justitiæ jura episcoporum.*

Ex actis Tridentini agnoscitur, tollendis exemptionibus tum regularium, tum capitulorum cathedralium et canonicorum obstitisse, quod Romani sustinerent, privilegia per apostolicam sedem concessa non debere, nisi per ipsummet Pontificem revocari, uti constat ex notis oratoris Regis Galliæ ad decreta sess. 24, de reform. cap. 6, *de revocandis exemptionibus capitulorum.* Quod etiam persæpe a Romanis in reformandis aliis disciplinæ capitibus objectum fuit, et, quoad *generales* regularium *exemptiones*, etiam obstitisse principum oratores, quod mirum non est, quia apud Paulum Sarpium legitur, cardinalem Si-

monetam in negotio controversæ institutionis episcoporum, quam ipsi immediate a Deo esse contendebant, ad aulam Hispaniæ, et Polonum ad aulam Imperatoris scripsisse, quod episcopi id intendant, ut absoluti suarum ecclesiarum Domini declararentur, inde ingens Regi et regno obventurum præjudicium.

1. Pallavicinus primam caussam concessæ regularibus immunitatis ponit in virtute abbatum, et egregiis ad gloriam Dei et hominum salutem susceptis operibus. D. Bernardus tract. de mor. et offic. episcop. cap. 9, id tribuit eorum spiritui independentiæ. Cui credemus? quis melius novit tum monachorum ingenia? quis majore sinceritate judicavit, et locutus est?

2. Cit. D. Bernardi libro 3, de consid. cap. 4, præoccupatur alterum Pallavicini ratiocinium, quasi Rom. Pontifices justam suæ auctoritatis tutelam curaverint industria sanctissimorum cœtuum, ut nemini suspicari liceat, eos unquam consensuros fuisse patrocinio tyrannicæ et illegitimæ auctoritatis. At Bernardus non credidit, nec etiam alii viri sancti et doctissimi, religiosos hoc ex humilitate et vitæ sanctitate fecisse; unde fundata suspicio in monachos cadere potest dati consensus in abusum Pontificiæ potestatis. Quid dicturus adhuc fuisset Bernardus, si, detectis falsis decretalibus, scivisset, nullum Rom. Pontifici jus competere *ordinarium* in diœcesibus episcoporúm, et immediatum in horum diœcesanos.

3. Ait Pallavicinus, Romanos pontifices in supremæ auctoritatis quieta possessione fuisse positos, secus hæ exemptiones apud episcopos et principes agnitæ non fuissent. Huic possessioni adversantur verba Bernardi, Petri Blesensis epist. 68, ad Alexandrum III, Joannis Saresberiensis lib. 7, cap. 21, qui de quibusdam exemptis regularibus subdit hoc notandum: *Si eis obloqueris, religionis inimicus, et veritatis diceris impugnator*, qualia defensoribus veritatis objici, nec hodie rarum est. Videatur quoque Zegeri Van Espen *Repagulum canonicum adversus nimiam exemptionum a jurisdictione episcoporum extensionem, in epilogo part.* 2. Item de juramento subjectionis et obedientiæ abbatum erga episcopos Mabillonius præfat. in sæcul. VI, Benedictin.

4. Ait Pallavicinus, quod religiosæ familiæ per cunctas orbis plagas dispergendæ a vario episcoporum judicio, arbitrioque regi non poterant. At iterum adversarium habet D. Bernardum, qui solus in diversis et dissitis diœcesibus 160, ejusdem instituti monasteria fundavit, utique non aliter locuturus, si illorum instituisset sex millia, item S. Franciscum, qui filiis suis hoc præceptum testamento reliquit: *præcipio fratribus universis per obedientiam, quod ubicunque sint, non audeant petere aliquam litteram in curia Romana. Ille* habuit sui instituti plura monasteria, quam vel Germania vel Gallia habeat Jesuitarum col-

legia: *hic*, antequam e vivis discederet, plures sui ordinis professos, quam forte tota Europa numeret Jesuitas. Quod mox Elias, vivente S. Francisco, paternum testamentum infregerit, et quos malos inde fructus retulerit, refert Alvarus Pelagius *in planctu Ecclesiæ* cap. 66. S. Bernardus dixit, monachos per exemptiones *dissolutiores fieri*, Alvarus Pelagius *in superbiam et contumaciam erigi*; Petrus Blesensis, *eximere ab episcoporum jurisdictione* nihil esse, *nisi contumaciam ac rebellionem præcipere, et armare filios in parentes.* Similia scribit Petrus Aurelius contra Jesuitas, quanquam in caussa Jesuitas pro legitimo teste non accipiatur, si tamen eorum mores observentur, eum non dixisse falsum deprehenditur.

5. Paulus Sarpi hist. concil. Trident. tom. 8, pro favore exemptionum allegata hæc refert, regularium exemptionem tam esse antiquam, ut merito ad jus commune referenda veniat, nec inter privilegia amplius computari debeat; episcopos, eorumque canonicos tunc, cum illis subjacerent monasteria, eam duxisse vitam, uti digni fuerint, qui regularibus præessent; hodie ab episcopis ignorari omnem methodum regularis observantiæ, proinde monasteriorum regimen sine formæ regularis ruina eis committi haud posse; demum si in hoc antiqua disciplina reduci vellet, hanc et in multis aliis revocandam, neque justum esse, ut monachi subjiciantur epis-

copis, antequam hi eos mores resumpserint, qui deceant magistros vitæ regularis. Non sic ratiocinabantur SS. Bernardus, Norbertus, Bruno, Franciscus; quæ tam vitiosum habent initium, nullo temporis lapsu juris communis vigorem poterunt obtinere. Nimietate forte peccabant, qui has exemptiones ad antiquiorem statum, quam ad normam sæculi X vel XI, reduci postulabant; teste de Marca, prius exemptiones tam exiguæ erant numero, ut ordinaria episcoporum jurisdictio vel nullum, vel plane exiguum inde caperet detrimentum; quanquam et talia diplomata innumeris obreptionibus et falsis depravata esse probent Launoius et alii diplomatici, proin adhuc singula examinanda forent.

Porro quantum ad visitandum et docendum monasteria, potuerunt, et cum fructu fecerunt id tum præsenti, tum præterito ævo plures episcopi, quamvis regulares non essent, ea non solum regendo, sed et nova instituta condendo: taliter nec summi Pontifices digne præerunt regularibus, nisi ipsi fuerint regulares, sic et Romæ congregatio regularium vellicatur. Quis ferat, regimen totius Ecclesiæ et ea, quæ in episcoporum cura et potestate continentur, minoris fieri, quam directionem regularium? Præsumptio est, autumare, quod in Tridentina synodo superioribus aut etiam universim ordini monachorum plus virtutis fuerit, quam episcopis ac statui clericorum sæcularium, cum tamen delecti novem

cardinales et prælati ante 27 annis, Paulo III proposuerint, multos religiosos adeo deformatos esse, ut magno sint scandalo sæcularibus, exemploque plurimum noceant. Quondam *particulares exemptiones* non fuisse effectum *juris monarchici*, ostendunt Mauriani tract. de re diplomat. tom. V, quia quidem circa sæculum V, a summis Pontificibus concessa sunt privilegia diversis ecclesiis et abbatiis, sed longe diversa ab aliis decretalibus. A sæculo V, et tum sæculo VI, plura similia privilegia ab episcopis emanarunt sive in sive extra concilia : liberum erat fundatori alicujus abbatiæ, si laicus erat, et suum novum monasterium non ædificabat in fundo alicujus Ecclesiæ, novam fundationem offerre et submittere metropolitano, primati, patriarchæ et sæpius etiam Rom. Pontifici, qui tunc censebantur ordinarii, in quacunque diœcesi sita erat, quin reclamarent episcopi.

6. Rationes *politicæ* etiam suadent restitutionem jurium episcopalium in regulares. Possunt amplissima hæc religiosorum ordinum corpora, per omnes catholicas terras dispersa, et inter se tam arcto vinculo colligata, publico esse valde nociva. Quodlibet se quasi separatum populum considerat : gloria et incrementum unius invidiam et æmulationem alterius provocat; inde divisiones. Quæruntur protectiones, patroni, adhærentes : itur in partes. Sequuntur demum publici tumultus. Oppositiones inter Dominicanos

et Augustinianos ob publicationem indulgentiarum excitarunt furorem Lutheri : hodiernæ divisiones in Galliæ originem, vel saltem nutrimentum debent oppositioni cleri sæcularis et quorumdam ordinum adversus Jesuitas. Hæc non evenirent, si monachi suis episcopis subditi, et singulæ religiosæ domus separatæ essent. Sic in concilio Tridentino (in quo, ut ita loquar, agebatur de fortuna rei christianæ) studebant episcopi bono Ecclesiæ et Imperii, generales ordinum commodo et splendori suorum ordinum, Romani securitati suæ monarchiæ. Quod exemptio regularium, et eorum subjectio soli Papæ, tanquam superiori, officiat bono Ecclesiæ, Regis et Imperii, ita judicarunt Talonius advocatus Regius, anno 1763, in Gallia, et ordines Imperii in centum gravaminibus, anno 1523.

7. Pfaffius universitatis Tybingensis cancellarius in sua *demonstratione* gallice edita ait, taliter Pontificem per regulares habere exercitum in omnibus regionibus catholicis semper paratum, sequi sua mandata, et qui jam tot principes enecarunt, quod suis commodis contrarii essent. Supponamus, tantos horrores extra omnem memoriam et prudentum hominum metum amandandos, et actu amandatos esse, non tamen tollitur justus timor secretarum relationum, occultarum machinationum, contra principem, statum, ministros, quandoque contra quemdam privatum, ubi agitur de interesse curiæ Romanæ,

de gloria et utilitate ordinis, sæpe etiam de commodo extranei principis sibi magis faventis.

De consensione animorum, de directione et dependentia ab uno ministro generali Romanæ curiæ alligato specimen dat ordo Jesuitarum in famoso libro, *Imago primi sæculi societatis Jesu*, ex quo de reliquis, licet forte non tam *absolute* et *monarchice* gubernatis, haud ægre judicium feretur. Ibi dicitur, dispersa quidem esse per omnes orbis angulos societatis membra, sed *hæc esse intervalla locorum, non mentium, discrimina sermonis, non pectoris, colorum dissimilitudo, non morum. In hac familia idem sentiunt Latinus et Græcus, Lusitanus et Brasilus, Hibernus et Samarta, Iber et Gallus, Britannus et Belga: atque in tam disparibus geniis nullum certamen, nulla contentio, nihil in quo sentias plures esse. Nihil sua putant interesse, ubi nati sunt. Idem propositum, idem tenor vitæ, eadem voti copula colligavit. Idem volvitur et revolvitur hominis unius nutu societatis universæ tanta moles, moveri facilis, difficilis commoveri.* Quem statum, principem, rempublicam non reddat attentam et sollicitam arctissima hæc unio tam potentum corporum, toto orbe diffusorum, eodem spiritu animatorum, occulte et aperte agere valentium, tum per se ipsos, tum per exteros. Patria cujusque monachi est ejus ordo, monarcha generalis, ejusve senatus, subest dominationi pere-

et Augustinianos ob publicationem indulgentiarum excitarunt furorem Lutheri : hodiernæ divisiones in Gallia originem, vel saltem nutrimentum debent oppositioni cleri sæcularis et quorumdam ordinum adversus Jesuitas. Hæc non evenirent, si monachi suis episcopis subditi, et singulæ religiosæ domus separatæ essent. Sic in concilio Tridentino (in quo, ut ita loquar, agebatur de fortuna rei christianæ) studebant episcopi bono Ecclesiæ et Imperii, generales ordinum commodo et splendori suorum ordinum, Romani securitati suæ monarchiæ. Quod exemptio regularium, et eorum subjectio soli Papæ, tanquam superiori, officiat bono Ecclesiæ, Regis et Imperii, ita judicarunt Talonius advocatus Regius, anno 1763, in Gallia, et ordines Imperii in centum gravaminibus, anno 1523.

7. Pfaffius universitatis Tybingensis cancellarius in sua *demonstratione* gallice edita ait, taliter Pontificem per regulares habere exercitum in omnibus regionibus catholicis semper paratum, sequi sua mandata, et qui jam tot principes enecarunt, quod suis commodis contrarii essent. Supponamus, tantos horrores extra omnem memoriam et prudentum hominum metum amandandos, et actu amandatos esse, non tamen tollitur justus timor secretarum relationum, occultarum machinationum, contra principem, statum, ministros, quandoque contra quemdam privatum, ubi agitur de interesse curiæ Romanæ,

de gloria et utilitate ordinis, sæpe etiam de commodo extranei principis sibi magis faventis.

De consensione animorum, de directione et dependentia ab uno ministro generali Romanæ curiæ alligato specimen dat ordo Jesuitarum in famoso libro, *Imago primi sæculi societatis Jesu*, ex quo de reliquis, licet forte non tam *absolute* et *monarchice* gubernatis, haud ægre judicium feretur. Ibi dicitur, dispersa quidem esse per omnes orbis angulos societatis membra, sed *hæc esse intervalla locorum, non mentium, discrimina sermonis, non pectoris, colorum dissimilitudo, non morum. In hac familia idem sentiunt Latinus et Græcus, Lusitanus et Brasilus, Hibernus et Samarta, Iber et Gallus, Britannus et Belga : atque in tam disparibus geniis nullum certamen, nulla contentio, nihil in quo sentias plures esse. Nihil sua putant interesse, ubi nati sunt. Idem propositum, idem tenor vitæ, eadem voti copula colligavit. Idem volvitur et revolvitur hominis unius nutu societatis universæ tanta moles, moveri facilis, difficilis commoveri.* Quem statum, principem, rempublicam non reddat attentam et sollicitam arctissima hæc unio tam potentum corporum, toto orbe diffusorum, eodem spiritu animatorum, occulte et aperte agere valentium, tum per se ipsos, tum per exteros. Patria cujusque monachi est ejus ordo, monarcha generalis, ejusve senatus, subest dominationi pere-

grinæ, statui publico ut plurimum noxiæ subinde etiam funestæ.

Hactenus dictis similiter respondet id, quod parlamentum Parisiense in famoso arresto de 6 Augusti, anno 1762, de Jesuitis dixit, quod *in sensu accommodo* de omnibus religiosis ordinibus accipi potest. His et similibus Jesuitæ in libellis ante suam condemnationem editis identidem reposuerunt : *quare potius Jesuitæ, quam Dominicani, Franciscani, Carmelitæ etc. quibus eadem objici possunt.*

Quantum securitati et tranquillitati interest, hanc unionem certo modo dissolvi, tantum, e contrario, Romana curia laborat, ut ea servetur integra. Clemens XIII maluit societatem Jesu e Gallia ejectam videre, quam ad instantiam regis consentire, ut vicarius generalis Jesuitarum pro eo regno deputaretur, ne, ut ait Pontifex in brevi de 28 jan. 1762, nexus ille *ordini*, (verius *curiæ*) absolute necessarius dissolvatur.

Saltem inspectione, mediis, cautelis extraordinariis utendum foret : omnis societas, omne collegium, quod sua propria constitutione principem reddit singulariter anxium, vel sollicitum, eo ipso credi potest reipublicæ periculosum, et vel hac sola ratione ad fines juris communis ablegandum.

8. *Ecclesiastica* incommoda ex regularium exemptione orta partim haurire licet ex Jesuitæ Davrigny Mémoires tom. III, a pag. 8, ad 24,

partim ex verbis Eustachii du Bellay episcopi Parisiensis contra Didaci Lainii S. J. orationem in concilio Tridentino habitam apud Frà Paolo hist. concil. Trident. lib. 7, pag. 597.

Pallavicinus lib. 18, cap. 15, sermonem Parisiensis episcopi a Paulo Sarpio eidem affictum venditat, quo Lainium aliena manu diverberet, et in ipso cunctos regulares ordines, maxime Jesuitas. Verum Pallavicinus nullum probabile hujus falsi argumentum seu indicium profert. E contra, intelligimus ex epistola vice-Comitis de 16 Octobris 1562, quod sibi proposuerit Parisiensis episcopus, data opportunitate, respondere argumentis Patris Lainez. Interim hujus episcopi querelæ contra regulares hodie fere ex omnium piorum et doctorum episcoporum, saltem cisalpinorum ore audiuntur. Quod de Jesuitis in specie profert, illud conforme est votis et consultationibus universitatis Parisiensis in negotio receptionis Jesuitarum in Galliam, apud Bullæum *hist. universit. Paris. tom. VI*, *p.* 570.

9. Non ex vano scripsit Erasmus Roterodamus, 1 nov. anno 1519, ad Albertum cardinalem archiepiscopum Moguntinum lib. 12, epist. 10, *mundus oneratus est tyrannide fratrum mendicantium, qui cum sint satellites sedis Romanæ, tamen eo potentiæ ac multitudinis evadunt, ut ipsi Romano Pontifici, atque ipsis adeo regibus sint formidabiles. His cum pro ipsis facit Pontifex, plus quam Deus est. In his, quæ facit ad-*

versus illorum commodum non plus valet, quam somnium.

Exemptio regularium pro fundamento habet, et effectus est monarchiæ Rom. Pontificis et absolutæ potestatis in omnes diœceses ac jura episcoporum, item ejusdem indirectæ saltem potestatis in principum jura : sed omnes hæ caussæ, indefinita in sacris Papæ auctoritas, indirecta saltem in principum jura potestas, superioritas præ conciliis generalibus, nonnullorum regnorum et insignium ecclesiarum catholicarum publicis legibus damnâtæ sunt, universim autem in nulla republica tolerari debent, tanquam pugnantes cum principiis hierarchiæ ecclesiasticæ, juribus subditorum utriusque status, et tranquillitate regnorum; unde per se manat, effectum cum caussa in eadem damnatione hærere.

Jurant monachi in statuta, privilegia et jura suorum ordinum, horum anima est immediata ad Papam submissio, et huic correspondens exemptio a jurisdictione ordinarii. Sæcularis potestas non habet media idonea ad limitandam hanc obedientiam et dependentiam, cui se monachus voto solemni adstrinxit.

De prætensione Rom. Pontificis in temporalibus regum, et habitu religiosorum ad hanc prætensionem monstrat Natalis Alexander histor. eccles. tom. VII, pag. 491. Postquam clerus Gallicanus, ordines regni, Parisiensis academia a bulla Bonifacii VIII, *unam sanctam* ad futu-

rum concilium appellassent, centum triginta duo fratres prædicatores Parisiis congregati eo solum intuitu appellationi subscripserunt, *ut Regis indignationem non incurrerent*, ac *ne inter tot et tantos singulares appareant*. Occitani vero prædicatores se id facturos negarunt, *nisi de expressa voluntate et assensu Prioris seu Magistri generalis totius ordinis*. Ideo intra triduum e regno exire compulsi sunt. Ex his judicet quis, cui parti in caussa minus aperta et strepitosa Dominicani adhæsuri fuissent, si mandatum Regis non ursisset? Quid eventurum sit, si in negotio minus publico magister ordinis Romæ residens, et Italus mandata danda habeat, non solum relative ad illas theses, sed etiam ad particulares, minoresve casus, præsertim si regularium commoda in his versentur?

10. Inter *internos* nævos solum pauci memorantur. In abbatiis amplissime dotatis exiguntur dotes aperta injustitia : attolluntur ædificia nimis sumptuosa : mensa, famulatus, curruum et equorum apparatus sæculi vanitatem sapiunt : nutriuntur intestina odia et dissidia : decernuntur incarcerationes perpetuæ, forma processus in substantialibus non servata : accusatus quandoque non auditur : accusator et testes ei manent ignoti : solus superior, vir nonnunqnam animi impotentis et vehementis, pronuntiat, spreta omni appellatione, sententiam exequitur : hæc omnia secreto tractantur : in multis monasteriis solida

studia non æstimantur pro merito, et bibliothecæ huic fini non instruuntur, ideo sumptu publico nimis multi aluntur simplicitate gaudentes, et desidiæ dediti. Mendicantes multiplicantur in infinitum, et reipublicæ auferuntur multa subjecta utilia, quibus vicissim gravatur ecclesia, tanquam servis inutilibus : pro tot alendis excogitantur et practicantur media, sacra nostra religione, ejusque majestate indigna : ex spiritu ambitionis etiam apud mendicantes haud raro in electionibus præsidum provincialium schismata cum scandalo sæcularium nascuntur, uti in Belgio apud Carmelitas calceatos, et in provincia Thuringica apud FF. Recollectos contigit.

11. In Concilio Viennensi exemptionis regularium manifestus monstrabatur abusus in ordine *Templariorum*, cujus corruptio et impietas sub hoc scuto nata, adulta, ad apicem perducta nunquam substitisset, si ii fuissent ordinariorum visitationi et jurisdictioni subjecti. Opponitur monarchia Papalis et absoluta ejus potestas : hæc principia sunt falsa, et si vera essent, non erit tamen in potestate Pontificis statum Ecclesiæ de meliore mutare in deteriorem, quod per regularium exemptiones factum fuisse, queruntur S. Bernardus, Ivo Carnotensis, Goffridus Vindociensis, Joannes Saresberiensis, Petrus Blesensis, Arnulphus Luxoviensis, Durandus Mimatensis et alii apud Launoium tom. III, part. 2.

12. Ob tales rationes Callixtus III, concepit

litteras, mendicantium familias ad jus commune reducendi; Paulo III eas promulgare meditante, mendicantium ordinum magistri in eam prorupêre temeritatem, ut *provocationis ad concilium generale formulam* ederent. Hi sunt fructus arboris non bonæ, Bernardus supra num. 4.

13. Patres concilii Tridentini harum immunitatum intolerabiles abusus, et serius vix medicabiles prævidentes, *ad interim* providerunt de quali-quali temperamento, radice mali hactenus subsistente, nempe, ut ait Barthelius *annot. in jus can. lib.* 1, *tit.* 29. via media est complorata, ut episcopi non titulo ordinario, sed tanquam sedis apostolicæ delegati jurisdictionem possint exercere, quia tamen hæc non est *attributoria novæ* potestatis, sed excitatoria restrictæ et *sopitæ jurisdictionis*, hinc secus ac aliæ delegationes latissimæ sunt interpretationis, in Gallia episcopos nomine tenus tantum esse delegatos, re ipsa, jure ordinario exercent jurisdictionem. Nunc negotium a Tridentino *inchoatum*, juribus episcopalibus in luce collocatis, perficiendum esset, maxime cum privilegia in præjudicium tertii ordinis, præcipue episcopalis optime utique meriti, et quo amplius nemo mereri poterit, dari non possint. Adde Launoium Opp. t. III, part. 1, pag. 137, part. 2, pag. 436. Gibert corp. jur. can. tom. I, pag. 160.

14. In hoc violento rerum situ episcopi sæpe tenentur ex pastorali suo officio reprimere mo-

nachorum attentata adversus legitimam suam divinam auctoritatem : his in more est, arrodere justissima episcoporum attentata, tanquam detrahentia suis privilegiis : magnum pondus auctoritatis habent in Romana curia : facile Rom. Pontificum religionem circumveniunt, quod sæpe evenit; hinc nova dissidia, novæ remoræ, nova scandala. Igitur tollatur radix hujus et tot aliorum malorum, quæ præsenti capite indicavimus : fiet hoc restitutione juris veri, remoto falso.

15. Qualiter olim Rom. Pontifices *in tutandis canonibus* suam explicuerint potestatem, traditum est cap. 2, § 7, qua ratione id præstiterint post introducta falsa monarchiæ universalis principia, refert Bossuet in defens. declarat. cleri Gallic. tom. II, pag. 411, *non jam fere tutandis canonibus, sed exemptionibus, dispensationibus, denique extraordinariis, arbitrariisque mandatis et imperiis eminere cœpit auctoritas; cum Papa longe positus, tot capitula, to tmonasteria, de quibus ne cogitare quidem vacat, immediate regenda suscepit; proprios arcet episcopos, atque ab iis suum quoque clerum avellit; cum episcopalem jurisdictionem in monachos atque mulieres effundit, atque effusam tutatur; cum denique Romana curia episcopos, veluti adversos habere, in tot exemptis præsidium ac firmamentum ponere voluisse visa est. Certo statuimus, nunquam Ecclesiæ catholicæ, nunquam sedi apostolicæ suam*

dignitatem constituram, nisi defensis canonibus, adscitisque episcopis, quos ipse Christus adjutores dederit. Exclamat Febronius : Deus immortalis ! quam varius et discors aspectus regiminis pristini, et sacri a Christo instituti, a novo illo mundano et politico.

NOTA.

Jam monui, meum non esse, regulares atque mendicantes defendere, aut eorum exemptiones et privilegia vindicare. Attamen Febronio respondendum est, ne Pontificis summi caussa derelicta videatur. De jure quæritur, non de facto : et si de hoc, utique de eo statu loquimur, in quo res nunc sunt, non in quo simul fuerunt, et modo sunt. Scimus (quod Febronius negare non poterit) etiam in bono, et quod alias legitime conceditur, sæpe per nimietatem peccari posse : scimus, bonum in malum verti, et ex malo usu abusum sequi posse : scimus denique, exemptiones, sicut et omnia privilegia sæpius æmulationem, invidiam, odium parere. Ab initio mundi fuit sic : num propter ista mala, quæ malorum hominum, non legitimæ potestatis vitia sunt, rectus usus et ipsa potestas tollenda erit ? Largiuntur sæpe supremi principes gratias, beneficia, privilegia, exemptiones, prærogativas etc. quæ dum lites, dissidia, et cruenta etiam bella excitarunt, quis inde principi ea conce-

dendi potestatem negare ausus est? Certe nemo. Hoc tantummodo sequitur, ut, qui in damnum tertii, vel reipublicæ abutitur privilegio, se eo indignum reddet, et ea potestate auferri possit, qua datum fuit, utrum de exemptionibus hoc probet Febronius, mox infra videbimus : interim (quod hodiernorum scriptorum, præcipue dum contra Rom. Pontificis potestatem decertant, illaudabilis mos est) omnia miscet; jus metitur ex abusu, etiam mere possibili, relevatque, facta vertit in jura, non distinguit inter statum et tempora, quasi omnia in eo adhuc statu essent, quo olim fuerunt, post Tridentinum nulla media, nulli limites forent positi, et quod pejus est, ipsi concedenti has exemptiones et privilegia malum finem, consilia, animumque affingit. Hisce armis Roma hucusque debellari solet : utrum bene ? utrum juste ? æquior posthac judicet mundus.

Non negamus, regulares originarie et per se episcoporum jurisdictioni subesse : concedimus, propter exemptiones, querelas, gravamina, et ex earum abusu etiam incommoda orta fuisse. Sed num ideo eximentis potestas, et caussa nulla subsistit ? num omnes exemptiones et apud omnes malæ sunt ? Regulares plurima commoda et bona, quæ ab exemptis in totam Ecclesiam redundarunt, enumerant, objiciuntque : et revera nec pauca nec minima fuerunt, sed nos inde calculum ducere nolumus. Hoc solum quærimus :

hæ querelæ, hæc gravamina contra exemptiones regularium sæpe in conciliis Viennensi, Constantiensi, Lateranensi V, Tridentino mota sunt: quare igitur hæ exemptiones non sunt abrogatæ? mota sunt coram episcopis, id est, ipsis judicibus, de quorum jure læso agebatur: si tam malæ sunt exemptiones, tanta incommoda ferunt, profecto debuissent abrogari; sed id factum non fuit. Vanæ, fictæ sunt rationes Febronii, his nunquam cessissent episcopi in tot conciliis, si exemptiones revera tanta mala in Ecclesiam induxissent. Imo cur, e contrario, cardinalis Lotharingus in Tridentino, ubi agebatur de visitatione et jurisdictione episcoporum in monasteriis, quibus cura animarum imminet pro Cluniacensibus in ipso concilio adhuc exemptionem petiit? Cur idem Lotharingus apud Pallavicinum lib. 24, cap. 3, num. 7. testantibus actis Arcis Æliæ in cœtu 23, anno 1563, *de regularibus illustre præconium habuit, testatus, tria regularium millia in Gallia paucorum mensium spatio crudele martyrium passos fuisse, quod obedientiam Romano Pontifici debitam abjurare noluissent. Quapropter ubi N B. cæterorum clericorum immunitatem ab episcopis plurimum improbabat, ita eandem in regularibus admodum a se comprobari, et Patres cohortabatur, ut illorum privilegia illæsa præstarent.* Cur denique tota synodus sess. 25, cap. 1, non obstantibus, quæ adhuc remanebant, exemptionibus, publice declarat: *non ignorat S. synodus,*

quantum ex monasteriis pie institutis et recte administratis, in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur? nempe qualescunque fuerint antea accusationes, quærelæ, gravamina, quantuscunque æstus concertationis, quamvis ea episcopos ob augmentum jurium suorum non modicum allicere poterant, nihilominus, postmodum rationibus utrinque ad trutinam appensis, Patres censuerunt, exemptiones sub certis limitibus, quos ponebant, regularibus relinquendas esse, taliterque eas comprobarunt.

Nihil huc attinent falsæ Isidori decretales: hoc semper obvium adversariorum argumentum est, quando ad objecta respondere non valent, Isidorum accusant. At Isidorus utique episcoporum hostis non est, non contra jura et auctoritatem episcoporum, sed ut ipse in proemio scopum sui operis manifestat, pro libertate et auctoritate illorum scripsit. Monarchia Papalis etiam nequaquam Isidori decretalibus, quod sæpius demonstratum fuit, innititur. Ipse Febronius fatetur, multos canones conciliorum a sæculo IX, ideoque adhuc post Isidorum uno consensu mandare, ut monachi obediant episcopis secundum canonicam auctoritatem. Tandem regularium exemptiones et privilegia per terna sæcula ante Isidorum jam emanarunt.

Gregorius M., ut etiam refert Thomassinus de vet. et nov. discipl. tom. I, lib. 3, cap. 30, primus exemptiones et privilegia ab episcoporum

jurisdictione monachis concessit quoad electionem suorum abbatum, solutionem cathedratici et decimarum, item ne episcopi bonorum monasterii administrationi se immiscerent, ne missas puplicas in cœnobiis celebrent, ne in illis aliquam imperandi potestatem exerceant, ne clerici alieni, qui non sunt de monasterio, seu monachi, sint abbates.

Similia privilegia et exemptiones statuuntur in concilio Carthaginensi sub Reparato Africæ primate, anno 534, apud Mansi tom. VIII, concil. Verba concilii hæc sunt : *cætera vero monasteria etiam ipsa libertate plenissima perfruantur: servatis limitibus suorum conciliorum in hæc duntaxat : ut quandocunque voluerint sibi clericos ordinare, vel oratoria monasteriis dedicare, episcopus, in cujus plebe vel civitate locus monasterii consistit, ipse hujus muneris gratiam compleat, salva libertate monachorum, nihil in eis præter hanc ordinationem vindicans, neque ecclesiasticis eos conditionibus aut angariis subdens. Oportet enim, in nullo monasterio quemlibet episcopum cathedram collocare, aut qui forte habuerint, nec aliquam ordinationem, quamvis levissimam facere, nisi clericorum, si voluerint habere; esse enim debeant monachi in abbatum suorum potestate, et quando ipsi abbates de corpore exierint, qui in loco eorum ordinandi sunt, judicio congregationis eligantur, nec officium sibi hujus electionis vindicet, aut præsumat episcopus.*

Si qua vero contentio, quod non optamus, exorta fuerit, ut ista abbatum aliorum concilio, sive judicio finiatur. Aut si scandalum perseveraverit, ad primates cujuscunque provinciæ universæ caussæ monasteriorum adjudicandæ perducantur.

Jam quæ a Gregorio M. et in concilio Carthaginensi statuta sunt, an Isidorum longe posteriorem habent, aut habere possunt auctorem? minime gentium. An machinationibus curiæ Romanæ, et generalium magistrorum ordinum tribui valent? neque hoc dici poterit. An labili fundamento *monarchiæ papalis* innituntur, sicque cum vitiosa caussa *effectus in eadem damnatione hæret?* quæ in concilio Carthaginensi statuta sunt, pro fundamento non possunt habere *monarchiam Papalem*, uti patet. Ibi illæ exemptiones ab ipsis episcopis statutæ sunt : jura in monasteria non Papæ, sed primatibus reservata sunt : si autem hæc primatibus, quare non Papæ etiam competere possunt? Quæ Gregorius M. concessit, statuitque, si pro fundamento habent monarchiam Papalem, eo ipso sequitur, longe ante Isidorum, et jam sæculo 6, eam doctrinam *de monarchia Papali* in Ecclesia agnitam, atque abs Gregorio I, humilitate, sanctitate, gestorum magnitudine maximo Pontifice, exercitam fuisse. Per hæc igitur mox omnia argumenta, quibus regularium exemptionum caussas et subsistentiam abscribit Febronius cum suis, quasi uno ictu concidunt.

Profecto Gregorius M. sibi in concedendis mo-

nachorum exemptionibus ac privilegiis supremam potestatem inesse credidit, sicque monarchiam Papalem præsupponebat, quando illas concessiones a nemine violari aut perturbari posse, absolute decrevit. Sic enim epist. 3, lib. 9, habet: *cura est sollicitudinis adhibenda, ut ea, quæ pro quiete monachorum, religiosæque conversationis fuerint ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare, sed sicut hoc, quod ratio exigebat utiliter, oportuit definiri, ita quod definitum est, non debeat violari.*

Inanissimum refugium quærit Febronius, quando *tom. II, Flores Sparsi. cap.* 7, *n.* 5, ait, quod immunitates et privilegia monasteriis a tempore Gregorii M. usque ad sæculum 10, concessa, quoad *substantiam*, quoad *fontem*, quoad *justitiam*, et quoad *bonum ordinem*, comparari non debeant cum hodiernis exemptionibus, et *modernas exemptiones alterius omnino generis esse, quam primæ illæ.* Quis non rideat? revera exemptiones sunt, privilegia sunt illa omnia, fueruntque. Quoad *substantiam*, illæ exemptiones sunt libertas a potestate seu jurisdictione episcopi : *pro fonte* habent supremam auctoritatem eximentis Rom. Pontificis : *justæ* erant; nihil enim contra has tum querebantur episcopi : *Bonus ordo* vero tunc in Ecclesia per eas non turbari, in monasteriis autem omnino restitui, firmarique credebatur. Vel an non ad jura episcoporum pertinent inspectio vel admi-

nistratio bonorum ecclesiasticorum, solutio cathedratici, decimarum, electio vel confirmatio personarum, qui in dignitate ecclesiastica constituuntur? An ipse non est judex personarum ecclesiasticarum? An ipsi non competit jus in qualibet Ecclesia suæ diœceseos functiones hierarchicas exercere, ibi cathedram erigere, docere, publicas missas celebrare? Si hæc jura episcopi non sunt, vel monachi et monasteria his per se non fuerant subjecta, quomodo potuit iis in talibus immunitas et exemptio concedi? Si autem sunt jura episcopi, his utique per has exemptiones derogatum fuit.

Verum est, quod quandoque ipsi episcopi, uti supra in concilio Carthaginensi, monasteriis tales immunitates concesserint; at non concessissent, nec in tantum sua jura abdicare ausi fuissent, nisi ex una parte in sede Apostolica taiia exempla præ oculis habuissent, ex altera *justitiam* et *utilitatem* harum exemptionum agnovissent. *Quod ratio exigebat utiliter*, ait supra D. Gregorius M.: ex quibus saltem id comprobatur, quod undecunque promanaverint istæ exemptiones, semper in Ecclesia tanquam *justæ* et *utiles* agnitæ fuerint.

Clamet nunc D. Bernardus, *Papam sic Ecclesiam mutilarc membris, confundere ordinem*. Dicat Richardus Cantuariensis, *Papam per exemptiones monachis contumaciam et rebellionem præcipere*. Queratur Joannes Sarisberiensis, *monachos effici*

Romanæ Ecclesiæ filios, et quo sibi plura impune liceant, eos se a jurisdictione omnium ecclesiarum eximere. Proferant similia, et adhuc alia durandus Mimatensis, Ivo Carnotensis, Petrus Cantor, aliique. Definiat denique novissimus professor Benedictus Oberhauser, *exemptione maxime perditam esse rem regularium.*

Hæc omnia solummodo de excessu et abusu modernarum exemptionum intelligi debent, quin nec aliter intelligi possunt. Rationem peremptoriam subministrat ipse Febronius tom. II, *flores sparsi* supra cit. loco. *An de privilegiis monachorum ante sæculum X, et XI, simili stylo scripsêre viri sancti, pii et docti?* Dico, non scripserunt : attamen ante hæc sæcula, ut supra vidimus, concessæ fuerunt monachis tales exemptiones et privilegia, quin et Febronius quoque id fatetur, dum mox supra dixerat : *post hæc* (nempe post sæculum VI) *multi episcopi, concilia, Reges, monachorum pietate tacti, vel ipsi eandem indulserunt, vel ut Romæ exemptionem impetrarent, auctores fuêre.* Si igitur ante sæculum X et XI, exemptiones et privilegia monachorum fuerunt : si ea Romæ et a sede apostolica *a multis* impetrata fuerunt : si de iis non querebantur *viri sancti, pii, docti :* tunc illa legitima, justa ac bona fuerunt; unde nec postmodum contra ea juste quis conqueri poterit. Nihilominus amaræ querelæ ortæ sunt : ergo hæ vel justæ non sunt, vel solum excessum et abu-

sum attingere possunt. Ita Febronius se ipsum refellit.

Possem ad D. Bernardi et aliorum querimonias adhuc idipsum reponere, quod Febronius cap. 3, § 8, respondit ad testimonium hujus Sancti et aliorum de suprema auctoritate Rom. Pontificis, nempe tales *elocutiones ampullatas* esse. Insuper tacet Febronius, Bernardum Rom. Pontifici *potestatem* eximendi monasteria non negare eodem loco: *Sic factitando, probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ forte non ita. Facitis hoc, quia potestis, sed utrum et debeatis, quæstio est.* Neque monasteriorum exemptiones universim reprobat hic Sanctus pariter cit. loco: *Nonnulla tamen monasteria sita in diversis episcopatibus, quæ specialius pertinuerint ad sedem apostolicam pro voluntate fundatorum, quis nesciat? sed aliud est, quod largitur devotio, aliud, quod molitur ambitio impatiens subjectionis.* Vides, non potestatem eximendi, non ipsas exemptiones regularium, sed ambitionem, id est, abusum a Bernardo vellicari. Tandem quæro, cur Eugenius III, zelosissimus Pontifex Bernardum non audivit, et contrarium tenuit? Cur nec Clemens V, nec concilium generale Viennense rationes Durandi Mimatensis ratas habuerunt, et pariter oppositum tenuerunt? Jam ad ista omnia obmutescere debent Febroniani; nam Isidorus in caussa non fuit, nec esse potuit.

Porro quibus Febronius contra Pallavicinum confligit, illis non immoror : attamen quando ille, quod exemptiones non ex toto in concilio Tridentino fuerint abolitæ, caussam rejicit in Romanos, quia sustinebant, privilegia per apostolicam sedem concessa non debere, nisi per ipsummet Pontificem revocari, et obstitisse etiam principum oratores : tunc Romani utique non male ratiocinabantur. Scilicet Rom. Pontifici competit potestas, exemptiones et privilegia contra jus commune concedendi, uti monstratum fuit, et Febronius ipse mox supra fateri cogitur : sed privilegia concessa nullus revocare potest, nisi qui concessit, aut ejus superior. Concilium Tridentinum vero, ut præcisum a Papa, nullibi se agnovit superius Pontifice, quod ex actis et decretis ejusdem concilii satis constat : ergo non nisi per Papam revocari debent.

Dum vero principes persuasi fuerant, episcopos in puncto controversæ eorum institutionis a Christo in id intendere, ut absoluti ecclesiarum Domini declararentur; num si privilegia regularium abolerentur, de hoc etiam principes persuaderi, vel episcopi id intendere et consequi poterant? qualis cohærentia? quæ consecutio? Episcopus, qui nullum in sua diœcesi exemptum monasterium habet, num idcirco est major et absolutus suæ Ecclesiæ dominus? Illæ immunitates utique semper exemptiones et privi-

legia sunt a jure communi : per horum abrogationem episcopi non nisi ad sua jura redeunt, neque majores Domini fiunt, quam olim fuerunt. Alia ratione persuasit cardinalis Lotharingus, ut monasteriis sua privilegia intacta relinquerentur, et præcipue monasterium Cluniacense cum suis limitibus a decreto sess. 25, cap. 11, exciperetur.

Ad 1, 2, 3 et 4. Omnia satis præoccupata sunt. Ad D. Bernardum, quem sæpius citat Febronius, jam respondimus : Bernardus non negat in Rom. Pontifice potestatem concedendi regularibus exemptiones, neque has absolute et universim improbat : igitur juxta ipsum Bernardum non omnes exemptiones pro caussa habent spiritum independentiæ, atque Bernardus de tot viris religiosis sanctis et doctis id credere non potuit, nec debuit. Ostendimus pariter, Isidori decretales exemptionum caussam vel fundamentum nec esse, nec esse potuisse. Quod si Bernardus, si Franciscus noluerunt, ut sui discipuli exemptiones et privilegia petant a sede apostolica, timentes, ne monachi in superbiam efferrentur, tunc utique abusum metuebant, de quo fors hinc inde exemplum præ oculis habebant. Sed num privilegia in hunc finem conceduntur? num exemptionum hi genuini fructus, et ubivis tales sunt? demonstratione non indiget, quod sensibus palpari potest, nempe regularem disciplinam, pietatem, devotionem etc.,

in plurimis exemptis monasteriis amplius florere, et observari, quam in non exemptis. Interim etiam ipsa sacramenta, et quidquid pium, sacrumque est, sæpe in abusum vertuntur, mala permitit Deus, tolerat Ecclesia, bona non tollit. Sic quoque exemptiones et privilegia bonum finem, et rectum usum habent, atque auctoritate legitima conceduntur.

Ad 5. Equidem duriora sunt, quæ in Tridentino pro favore exemptionum allegata ex Sarpio affert Febronius : attamen ab his non abludunt, quæ Gregorius M. lib. 4, epist. 11 etc. etc., prohibens, ne alieni clerici, qui non sunt monachi, in monasteriis sint abbates, vel monasteria regant, ait : *presbyteros, et diaconos, cæterosque cujuslibet ordinis clericos, qui ecclesiis militant, abbates per monasteria esse non permittas, sed aut, omissa clericatus militia, monasticis provehantur ordinibus, aut si in abbatis loco permanere decreverint, clericatus nullatenus permittantur habere militiam.*

Quod ipsi episcopi sæpe ob vexationes et gravamina, quæ monasteriis inferebant, ansam dederint exemptionibus et privilegiis, abunde, facileque probari posset, et patet etiam ex cap. *nimis iniqua.* cap. *frequens.* cap. *nimis prava. De excessibus prælatorum.* Et similia apud Gregorium M. inveniuntur.

Pariter, quod primis sæculis plurimi episcopi regulares fuerint, certum est, et ideo mirum

videri non debet, quod tunc nullæ aut raræ fuerint exemptiones, quia monasteria ab illis optime regebantur, eorum bonis non inhiabant, sed augebant, quietem non turbabant, sed dabant.

Viator a Coccaleo tom. II, epist. 31, adhuc aliam rationem pro exemptione regularium a jurisdictione episcoporum affert : *Si claustrales familiæ*, ait, *essent episcopis subjectæ, a proprio instituto immediatè deciderent; carerent enim proprio generali a solo Papa dependente, et pro proprio generali singulæ familiæ in eadem diœcesi existentes haberent episcopum : consequenter tot generales haberent, quot sunt episcopi. Porro immediate deperderetur unitas observantiæ, unitas doctrinæ, unitas regulæ et constitutionum : uno verbo, unitas corporis, singuli episcopi, licet ignari, licet disciplinæ regularis inexpertes, licet incompetentes sententiam dicere auderent in rebus ignotis : quid corrigant, quid dispensent, quid exigant, quid promoveant, ignorarent, et ad illos abusus regressus fieret, qui caussa fuerunt, ut Pontifices sibi regularium provincias addicerent.*

Hunc virum haud falsa dixisse, jam alicubi exemplis patet; sed hæc contra mentem totius Ecclesiæ sunt, quæ semper voluit, in conciliis quoque cavit, ordinavitque, ut in omnibus religiosis ordinibus eadem regula, disciplina, idem spiritus conservetur, observeturque : hoc decla-

rat in concilio Tridentino totum caput I, sess. 25, de regularibus etc.

In hoc igitur rerum statu, omnibusque rite pensatis, stat pro episcopis sua potestas et jurisdictio in omnes ecclesias et personas ecclesiasticas suæ diœceseos. Interest nihilominus Ecclesiæ conservatio præprimis conspicui ac plurimum meriti status regularis in suo spiritu, recto ordine et disciplina, quia, ut ait cit. concilium Tridentinum, *ex monasteriis pie institutis, et recte administratis in Ecclesia Dei multum splendoris atque utilitatis oritur*. Ad hoc vero, ut monasteria pie et recte administrentur, reganturque, necesse est, ut in quovis ordine religioso unus sui auctoris spiritus, eadem regula, disciplina, observantia apud omnes, quantumvis locorum intervallo dissitas familias et membra semper vigeat; hinc oportet, ut quisquis curam regularium familias regendi suscipiat, eodem spiritu sit animatus, atque disciplinæ regularis non ignarus aut inexpertus, uti supra docuit S. Gregorius M. Non dico, episcopos ad hoc inidoneos esse aut fuisse : quoad potestatem certo idonei judices atque rectores sunt : quantum vero ad scientiam, experientiam et media in rebus regularibus, necesse foret, ut omnes in iisdem principiis et modo conspirarent, ut ubique servaretur unitas ordinis, spiritus et disciplinæ, secus facile contingeret, ut confusiones, schismata orirentur, dum idem ordo in singulis fa-

miliis non nisi habitu, et ad speciem conveniret, in cæteris etiam substantialibus invicem longe discreparent. Quare opportunissimum remedium religiosos ordines in disciplina conservandi aliud non foret, quam ut episcopi eos per viros eodem spiritu ordinis animatos, atque in disciplina edoctos, id est, per ipsos regulares, nulla unquam in substantialibus mutatione facta, regerent, vel ordinum superioribus se ipsos regendi facultas relinqueretur, reservatis cujuslibet monasterii episcopo, quæ facultatem concionandi, confessiones excipiendi, graviora delicta canonica puniendi, atque curam animarum attinent.

Ex his patet, ridiculum esse, quod Febronius objicit: si episcopi non digne præficiantur, monachis, quia regularem vitam non sunt professi, ita etiam Papam non digne præesse regularibus, neque cardinales congregationis ordinum regularium. Pontifex utique non per se, sed per superiores ordinum regit ordines religiosos, prout mox de episcopis circa modum regendi regulares dixi. Congregatio vero cardinalium regularibus proposita non tractat ea, quæ claustralem et internam disciplinam cujusvis ordinis attinent, sed solum caussas litigiosas cum episcopis, superioribus ordinum, sæcularibus etc.

Ad 6. *Politica* affert Febronius! quare non vult, ut totus mundus sub tyrannide unius tantummodo hominis gemat? Nunc ille divisus est in tot status, regna, quæ tot magna sunt

corpora arcto vinculo colligata, unde continuo æmulationes principum, et cruenta bella in perniciem generis humani oriuntur. Hæc politia fors universalem pacem et securitatem in totum mundum induceret. At hæc ipsius politia non minus Christum, apostolos, primos christianos, et nascentem Ecclesiam æque criminis reos arguit: illi cum discipulis et neophytis conversis per civitates et oppida dispersis, arcto religionis vinculo colligatis, separatum quasi populum conficiebant, privatos et occultos conventus agebant, mysteria religionis coram ethnicis arcana servabant, pariter Ecclesiæ, quasi tot dispertitæ familiæ, arcanis litteris per ipsos clericos ad invicem delatis et in occulto communicabant. Eadem politia tum obtendebatur, ut hæc nova societas publico crederetur nociva: de Christo dicebatur, *quia seducit populum, commovet turbam.* A Judæis apostoli flagellati e synagogis et civitatibus ejiciebantur: pariter Imperatores ethnici christianis sectam suam profiteri, conventus sive publicos sive occultos agere sub pœnis prohibebant, mandata imperatoria publice affixa in foris et civitatibus legebantur. Sed his mandatis non obtemperabant apostoli et christiani: huic politiæ contradicebant per suas apologias defensores Ecclesiæ Athenagoras, Origenes, Tertullianus, Lælius Lactantius, ostendentes, christianos solo nominis præjudicio damnari, eorum doctrinam bonam et sanctam, mores innocuos esse, eos

miliis non nis[...] [...]ud! eadem politia nunc horet, in cæ[...] [...]um instituta obtineat, quæ nolonge discr[...] [...] profecta tot viros sanctos, doctos medium [...] [...]publicæ plurimum utiles peperevandi a[...] [...], inquam, et genus vitæ, quæ neper vir[...] [...]a et occulta, sed omnibus manifesta, in disc[...] [...]m tempore universim et publice laures, [...] [...]probata, et civitate donata sunt? facta [...] [...]ices: inter regulares familias quandoque rege[...] [...]tiones, divisiones, tumultus oriuntur. Inalib[...] [...]æniæ! sæpe inter familias ejusdem civitana [...] æmulationes, divisiones, tumultus oriuntur, n[...] [...]ud facile, vel nunquam penitus sopiendæ; [...]um ideo jura civitatis et leges civiles in culpa [...]unt? Hominum, non legum vitio ista contingunt. Idem de regularium institutis dicendum venit. Dein tumultibus in tempore obviandum, et injuste tumultuantibus resistendum, non publice et cum auctoritate patrocinandum est: si illud factum, vel saltem istud prætermissum fuisset, Lutherus suum furorem in tantum evomere non potuisset, atque in Gallia, si suas machinas politici non admovissent, divisiones in clero non tantum exarsissent. Denique quæ ab advocato Talonio in Gallia et in centum gravaminibus in Germania afferuntur, ex supra dictis facile refelluntur; alibi etiam notavi, qualia sint illa centum gravamina, et a quibus profecta? unde pro argumento ne quidem valere queunt.

Ad 7. Utinam Febronius non totus in calum-

profunderetur memento, nobis de potestate ...m. Pontificis in concedendis exemptionibus et privilegiis, de integris ordinibus regularium, de eorum regimine, disciplina, horumque conservatione, non de singularibus membris, horumque vitiis sermonem esse. Invidiosam Pfaffii observationem tanquam pretiosum *politicæ rationis* cimelium profert, eidemque vix non publice assentitur : fingit, adhuc *justum* principibus etc. *timorem* adesse. Si quis probationem quærit, librum producit, *Imago primi sæculi S. J.*, inscriptum, quod ibi dicatur, omnes ubique in toto mundo jesuitas, mente, moribus, proposito, tenore vitæ consentire, universam societatem unius hominis nutu moveri. Addit arrestum parlamenti Parisiensis de anno 1662, nempe quod Societas Jesu sit corpus immensum, quod nihil cogitet, agat sine impulsione unius hominis, sicque continuo et infallibiliter tendat ad suum scopum, et cum sit monarchica, ille generalis, in quo tota concentratur societas, possit suum Imperium per eam exercere in omnium hominum status et dignitates : quoquot societas sibi membra ex diversis nationibus procurat, tot principes deperdunt subjecta, quæ in manus unius peregrini monarchæ juramentum maxime illimitatum deponunt.

At imprimis supponit, aut saltem pro fundando *justo timore* supponere debet, summum Pontificem caput esse omnibus principibus, ac

falso accusari etc. Quid! eadem politia nunc hodie contra regularium instituta obtineat, quæ notorie a viris sanctis profecta tot viros sanctos, doctos Ecclesiæ et reipublicæ plurimum utiles pepererunt : instituta, inquam, et genus vitæ, quæ nemini impervia et occulta, sed omnibus manifesta, a multo jam tempore universim et publice laudata, approbata, et civitate donata sunt?

At dices : inter regulares familias quandoque æmulationes, divisiones, tumultus oriuntur. Inanes næniæ! sæpe inter familias ejusdem civitatis æmulationes, divisiones, tumultus oriuntur, haud facile, vel nunquam penitus sopiendæ; num ideo jura civitatis et leges civiles in culpa sunt? Hominum, non legum vitio ista contingunt. Idem de regularium institutis dicendum venit. Dein tumultibus in tempore obviandum, et injuste tumultuantibus resistendum, non publice et cum auctoritate patrocinandum est: si illud factum, vel saltem istud prætermissum fuisset, Lutherus suum furorem in tantum evomere non potuisset, atque in Gallia, si suas machinas politici non admovissent, divisiones in clero non tantum exarsissent. Denique quæ ab advocato Talonio in Gallia et in centum gravaminibus in Germania afferuntur, ex supra dictis facile refelluntur; alibi etiam notavi, qualia sint illa centum gravamina, et a quibus profecta? unde pro argumento ne quidem valere queunt.

Ad 7. Utinam Febronius non totus in calum-

nias profunderetur memento, nobis de potestate Rom. Pontificis in concedendis exemptionibus et privilegiis, de integris ordinibus regularium, de eorum regimine, disciplina, horumque conservatione, non de singularibus membris, horumque vitiis sermonem esse. Invidiosam Pfaffii observationem tanquam pretiosum *politicæ rationis* cimelium profert, eidemque vix non publice assentitur: fingit, adhuc *justum* principibus etc. *timorem* adesse. Si quis probationem quærit, librum producit, *Imago primi sæculi S. J.*, inscriptum, quod ibi dicatur, omnes ubique in toto mundo jesuitas, mente, moribus, proposito, tenore vitæ consentire, universam societatem unius hominis nutu moveri. Addit arrestum parlamenti Parisiensis de anno 1662, nempe quod Societas Jesu sit corpus immensum, quod nihil cogitet, agat sine impulsione unius hominis, sicque continuo et infallibiliter tendat ad suum scopum, et cum sit monarchica, ille generalis, in quo tota concentratur societas, possit suum Imperium per eam exercere in omnium hominum status et dignitates: quoquot societas sibi membra ex diversis nationibus procurat, tot principes deperdunt subjecta, quæ in manus unius peregrini monarchæ juramentum maxime illimitatum deponunt.

At imprimis supponit, aut saltem pro fundando *justo timore* supponere debet, summum Pontificem caput esse omnibus principibus, ac

statibus inimicum, aut ad minime periculosum, secus secretæ relationes et occultæ machinationes parum nocebunt: supponere debet, Rom. Pontifici, Ecclesiæ, curiæ Romanæ, et toti ordini alicui non deberi ea media, quæ ad conservationem sui ipsius sunt necessaria, et alias etiam jure naturali et gentium debentur: supponere debet, Pontificis nihil interesse, quid in Ecclesia agatur, eidem non deberi relationes, nec Romæ sciri debere, quid in toto mundo contra Ecclesiam, in Ecclesia, contra summum Pontificem, curiam, item contra canones agatur; e contra, nulli statui celandum esse, quid Romæ agatur: supponere debet, totos ordines et omnes regulares in id unice instructos esse, atque pro lege habere, ut in principum et ministrorum arcana penetrent, ea expiscentur, atque Romam perscribant. Si ita est, utique *justus timor* principum mentes occupabit. Et ecce! regulares a duobus sæculis, et ultra erunt homines periculosissimi!

Verum hæc omnia adhucdum probatione non tantum indigent, sed falsissima sunt. Si aliqui religiosi fors suo officio aut scientia abusi arcana prodiderunt, quid hoc toti ordini officit, vel hic luere debet, quod culpa unius est? Ipsi sæpe ministri, consiliarii, militum duces et officiales proditione peccarunt, peccantque: an ideo omnes hæc macula conspurcat, nulli amplius fidendum erit? Ut *timor* sit *justus*, de-

monstrare debes, totum ordinem, et omnes regulares reos, vel saltem ideo suspectos esse, quod *in hoc* sit omnium mens una, conspiratio, atque instructio.

Probat equidem unam mentem, consensum, dependentiam ab uno generali, tanquam monarcha, quod, ait, *in sensu accommodo de omnibus religiosis ordinibus accipi potest.* Et unde probat? ex libro alicujus Jesuitæ, *imago primi sæculi S. J.* inscripto. Sed hic auctor utique vult, hunc animorum consensum, et dependentiam a suo generali collimare unice ad fines sui instituti et ministeria sibi concredita prosequendi. Quid in hoc mali? Febronius spiritum Christi non habet, quando charitatem, pacem, unitatem mentium et consensum in bono redarguit, neque honesti viri officium explet, quando supra æmulationes, dissidia, schismata in regularibus culpat, modo unanimitatem, concordiam, consensum accusat. Igitur testimonium, quod producit, non est conveniens. Addit arrestum parlamenti Parisiensis : sed inde non sequitur, neque probatur, quod ea animorum consensio et forma regiminis in societate constituta revera et actu in perniciem principum ac statuum tendat, et ideo eos sollicitos tenere debeat arctissima hæc unio : utique alius fuit finis hujus instituti, et si plurium hominum societas, unio, consensus, quemcunque dein sui instituti finem habeant, sufficiens ratio est, ad *justum timorem*

principibus incutiendum, tunc non solum omnes ordines religiosi, sed etiam ordines militares, societates mercantiles, imo quævis societates etiam politicæ sunt dissolvendæ, et ejiciendæ. Nunquid pannicus hic timor est, et inanis suspicio, solum ad invidiam excogitata, quam Febronius *rationem politicam* vocat? recte igitur Jesuitæ objiciebant alios quoque ordines, de quibus Febronius dicit, idipsum in sensu accommodo accipi posse : parlamentum alios ordines non tangebat, sed hoc ipso ostendit, suam rationem, quam proferebat, et universalis erat, nullo fundamento inniti.

Hac ratione politica sæpius, in Gallia præcipue, contra Jesuitas, horumque institutum decretatum fuit : veritatem hujus *rationis* ex actis authenticis comprobatam, saltem post eorum abolitionem adhucdum exspectat mundus. Imo illam non subsistere, testantur episcopi Galliæ in suo memoriali ad Regem dato, anno 1762. *Avis des évêques de France*, ubi aiunt, accusationes, quæ hodie in tot libellis, quibus mundus inundatur, contra Jesuitas proferuntur, aliud non esse, quam repetitiones eorum, quæ ante 150, et amplius annos conscripta, et sparsa fuerunt, ut odio exponantur. Huc igitur etiam pertinet arrestum parlamenti Parisiensis, et illa ratio politica, quæ præ cæteris Jesuitis semper opponebatur. Vide etiam *Instruct. pastor. des arch. et évêq. de la prov. de Tours*. Ex quo patet,

clerum Gallicanum hac ratione politica contra institutum societatis nequaquam persuasum fuisse.

Dices : saltem timendum est, ubi agitur de gloria vel utilitate alicujus ordinis, vel contra interesse et commodum ejusdem. Respondeo : omnia corpora, omnes societates, etiam civiles qualescunque, quæ nexu quodam copulantur, pro suo commodo et honore laborant, atque ad sui conservationem sunt sollicitæ. Sed etiam ad hoc jus habent : societas in republica cum consensu principis vel auctoritate publica instituta aut recepta fuit, cedit in bonum vel Ecclesiæ vel reipublicæ, instituti fines, articuli, conditiones sunt approbatæ, atque ipsa societas civitate donata fuit, est in possessione juris sui, quandoque etiam privilegiis dotatur. Jam si talis societas in juribus detrimentum pati debeat, vel ei omnino eversionis periculum immineat, an ei uti non licet moderamine inculpatæ tutelæ, sibi patronos conciliare, media ad sui conservationem conquirere, aut adhibere ? si de incremento et honore societatis agatur, quis prohibet, vel an rationi consentaneum non est, talia recipere, vel etiam, data opportunitate, mediis licitis quærere, utique absque præjudicio tertii, vel si fors id non tam in bonum privatum societatis, quam damnum publicum et commune cederet ?

Haud male igitur Papa et curia pro unione et nexu alicujus ordinis laborat, qui ad ejus conservationem necessarius est, et Febronius

Clementi XIII, intentionem præjudicatam et minus honorificam tam libere, quam malevole affingit.

Porro ratio politica Febronii circa eas solum societates ac conventus principem ac statum sollicitum tenere, metumque justum incutere potest, quarum finis ignoratur, quæ arcana tractant, ubi institutum, conditiones, articuli, juramenta caute occultantur. Si talibus tam anxie invigilassent politici ab annis centum, hodie non tantum detrimenti pateretur fides atque religio.

Ad 8. Pallavicinus Bellayum episcopum Parisiensem vindicare vult, *in religiosos ordines, in sedem apostolicam ea promentem, quæ vix ab Hugonotorum ministris dicta fuissent.* Sed apologiam non admittit Febronius, atque mavult, honori hujus præsulis non consuli, quam ut sibi hoc testimonium eripiatur, quod suo gustui tantopere congruit. Pallavicini pro episcopo Parisiensi argumenta hæc sunt : ab eo nequaquam dici potuisse, *Lainii sententiam de auctoritate Pontificis supra concilium præteritis sæculis inauditam, a Cajetano ad purpuram adipiscendam excogitatam fuisse*, quia a duobus antea sæculis ea sententia ante Cajetanum tradita ac scripta fuit a celebri doctore Gallo Natali Hervæo, et postea ab inclyto Hispano Joanne cardinali a Turrecremata, et paulo post ab illustri Germano Gabriële de Biel, non connumeratis Alberto, Bonaventura, Durando, aliisque veteribus, et

hæc ante Cajetanum, et quia post Cajetanum eadem usque ad id temporis, nempe concilii Tridentini patronis destituta non jacuit, cui Dominicus Sotus, Jacobatius et alii canonistæ adhæserunt: notam esse sanctitatem Cajetani ab ambitu alienissimi, purpuram illi non ab eo Pontifice, pro quo eam sententiam tenuit contra synodum Pisanam, sed longe post, et contra ejus exspectationem, ab alio collatam esse.

Quod ad ordines religiosos spectat, Guilliel-mum ab Amore, aliosque ejus asseclas ob ea opinamenta, quæ Febronius episcopo Parisiensi affingit, ut hæreticos rejectos esse a S. Thoma. Hæc igitur Pallavicini argumenta probant, quod ille episcopus Bellayus vel ea non pronuntiaverit, quæ Suavis proponit, et Febronius pronuntiasse præfracte sustinet, vel si ea revera pronuntiaverit, falsa esse, quæ dixerit, atque ab hæresi omnimode excusari non debere. Cæterum, quod Lainii oratio eidem episcopo non placuerit, quod proposuerit eidem respondere, inde nondum consequitur, id actu factum fuisse, minus adhuc iisdem Suavis verbis et argumentis.

Ad 9. Testimonium Erasmi Roterodami ejusdem cum Pfaffio indolis atque valoris est, quod in hac caussa a nullo tribunali et nullo jure admittitur. Potuisset adhuc Lutherum, et multos alios ejusdem furfuris homines, apertos religiosorum ordinum hostes provocare, ut majorem numerum, sed non auctoritatem faceret.

Calumnia est, quod nostro sensu episcopi in regimine ecclesiastico sint tantum prætensi Papæ vicarii, quod infra ex Amorto demonstrabo. Falsum est, quod exemptio regularium pro fundamento habeat indirectam Papæ potestatem in jura principum. Quod autem monarchia Papalis et Pontificis superioritas supra concilia N B. *in sensu a nobis sæpius explicato* nonnullorum regnorum et insignium ecclesiarum catholicarum publicis legibus, atque legitime damnatæ sint, non solum serio pernegamus, sed et contrarium hactenus, ac multoties in notis nostris demonstravimus. Hinc pessimum consilium, imo perversionem suadet, quod hæ duæ sententiæ in nulla provincia et republica tolerari debeant.

Febronius hoc loco caussam atque dissidium inter Bonifacium P. VIII et Philippum Pulchrum callide inflectit. Haud opus est de hac lite Ecclesiæ plurimum perniciosa, utrique autem tam Papæ quam Philippo Regi minus honorifica longius disserere, si tamen omnia utrinque dicta, scriptave vera sint, de quo dubitat Paulus Æmilius de gestis Francorum lib. 8, pag. 171, scribens: *extant Regiæ Majestatis, Pontificisque alternæ epistolæ utrinque missæ, plenæ convitiis mutuis, ignominiosæque, si modo veræ, ab ipsisque compositæ, et non confictæ ab aliis, quod similius vero sit.* Attamen quod rei punctum et Dominicanos tangit, utique res conscientiæ erat, quæ quemvis singulariter attinebat, a bulla Romani

Pontificis supremi in Ecclesia pastoris, ad petitionem et instantiam Regis appellare ad futurum concilium. Quippe non modo hoc novum et inauditum hactenus in Gallia factum fuit, siquidem ipse Febronius cap. 6, § 10, num. 2, anteriorem talem appellationem in Gallia ostendere non potuit : sed etiam in re alicujus momenti, et quod propriam cujusque conscientiam tangit, non licet contra dictamen propriæ conscientiæ alienum exemplum sequi, sed quisque debet proprio Dictamine uti. Si ergo dominicani exemplum academiæ Parisiensis, ordinum regni et cleri mox secuti non sunt, idcirco culpandi non erunt, quando ipsis per conscientiam licere visum non fuit; dum vero assensum sui magistri generalis obtenderunt, id palam ad honestam excusationem referri debet, ne regi publice adversari, et se omnibus ordinibus regni anteferre viderentur, et ideo temeritatis et inobedientiæ pœnas, uti vocat Febronius, *immerito* luerunt. Ex adverso Dominicani Parisienses appellationi subscripserunt ea solum de caussa, *ut regis indignationem non incurrerent, et ne inter tot et tantos singulares appareant.* En metum gravem! en exceptionem! igitur neque hi justitiam appellationis hujus agnoverunt. Sed fors reliquus clerus, Academia, ordines regni libere subscripserunt? at unde hoc probabis? deme politicos, et adulatores aulæ, qui magnis principibus in omnibus, quæ his libent, assentiuntur, applauduntque;

certe et aliis æque ac Dominicanis regia indignatio et vindicta timenda fuit, quanquam hanc caussam in subscriptione, uti Dominicani, non expresserunt, et cum hi illud probe scire poterant, et ideo minus extortum illorum exemplum sequi, et propriæ conscientiæ dictamini ipsis controvenire licuit.

Porro post quinquennium accusatore, et instante iterum Rege, Papa Bonifacius VIII, falsis criminibus oneratus in conciliabulo Parisiis convocato abjicitur, nova facta appellatione ad futurum concilium vel meliorem Pontificem. Quis hìc iterum neget, auctoritatem, iram, vindictam plurimum valuisse in animos episcoporum, cleri et subditorum? sciebant utique episcopi, quid sæculo VI, Avitus Viennensis, et per eum reliqui præsules Gallicani, in caussa Symachi P., quid iidem sub Carolo M. in caussa Leonis III, quid Ivo Carnotensis, quid Hincmarus Rhemensis, quid Bernardus, quid denique synodus œcumenica octava, quid synodus Chalcedonensis, nempe quando de judicando Papa agebatur, egerint, pronuntiaverint, statuerintque? Domestica hæc et extera exempla atque testimonia memoria tenebant, suis oculis legebant tum episcopi Gallicani, et tamen, urgente Rege, in illo concilio Parisiensi judicabant, damnabant legitimum Pontificem Bonifacium VIII. Profecto nempe persuadebit, hæc episcoporum judicia atque suffragia fuisse ob omni animi affectione, me-

tuque libera; hinc vides, in hoc exemplo sicut et in priori magis prævaluisse vel adulationem, vel reverentiam, imo metum et iram regis, ideoque qui fors adhuc resistebant, per hoc malos non fuisse. Talia ergo exempla nihil genuinum, nihil legitimum probant, sed Dominicanos Parisienses metu adactos subscripsisse, Occitanos vero prædicatores vim et iram regis obtentu sui superioris effugere, et subscriptionem evitare voluisse, solummodo ostendunt.

Ad 10. Hæc omnia, quæ affert Febronius, non approbo. Scio etiam, tales nævos in quibusdam religiosorum domibus vigere, sed non in omnibus. Sed ista facile reformari, emendari, restringi possunt, non ideo monasteria evacuari, everti, homines ejici debent, secus et alibi fere ubivis homines ejiciendi, e suo statu, vocatione, a bonis et juribus suis deturbandi erunt. Et qualis tunc facies mundi erit? si respublica, si Ecclesia nimio gravatur numero monachorum, minui potest, quis obstrepit? hoc tamen sine invidia, sine odio, sine habendi aut sese ditandi cupidine, sine læsione famæ, aut perturbatione ordinis fieri potest.

Ad 11. Crimina, de quibus accusabantur Templarii, si etiam vera sunt, non erant abusus privilegiorum, sed longe alia a tota religione abhorrentia: his neque exemptiones et privilegia ansam dare potuerunt. Nam etsi Templarii sub vigilantia episcoporum stetissent, tamen ista crimina enasci,

et perpetrari potuissent, quia erant occultissima. Et quare episcopi tamdiu de his nullam notitiam hauserunt, cum facile scire possint, quid in sua diœcesi, et locis etiam exemptis agatur? imo concilium Viennense, in quo accusati et condemnati sunt Templarii, etsi ibi de reformanda disciplina ageretur, nullibi caussam in Papam rejecit, vel in exemptiones. Tu ista Pontifici et religiosis ad invidiam affingis. Fac interim, ut equestres et nobilium ordines, qui longe amplioribus et maximis privilegiis atque exemptionibus perfruuntur, sub potestatem cujusvis episcopi redigantur, sicuti de Templariis monueras, nullibi laudem feres, et tamen hæc Febronii sententia et sequela est. Ad querelas aliorum supra plus quam satis respondi.

Ad 12. Febronius aut totum suum systema revocet, abjuretque, aut confiteatur, ordines mendicantes *arborem bonam*, et horum provocationem ad concilium generale *fructus optimos* esse. Utique ipse docet, concilium esse supra Pontificem : ipse totus in eo est, ut in hoc sensu intelligatur, et recipiatur concilium Constantiense, imo et Basileense : ipse non solum docet, licitam esse appellationem a Rom. Pontifice ad concilium generale, sed etiam suadet : igitur *temeritas* non fuit, et frustra regulares accusat, quod ipsi tantopere sustineant monarchiam Papalem. Qua ratione hic auctor contra mendicantes sententiam Italicam adoptat, quam ubivis tantopere accusat?

Attamen nec tanta temeritas fuit in appellatione Magistrorum ordinum mendicantium : appellabant ad concilium non *futurum*, sed *existens*, nempe Tridentinum; neque ad concilium *sine Papa*, vel *contra Papam*, sed ad concilium unitum cum Papa. Febronius vult, licitum esse appellare ad concilium *futurum*, quod est *sine Papa*, vel etiam *contra Papam* : et in hoc vere maxima temeritas et error est.

Ad 13. Dixi ego, episcopis per se competere potestatem in omnes ecclesias et personas suæ diœceseos, et ideo cum Barthelio etiam assero, eam jurisdictionem delegatam non esse *attributoriam novæ potestatis* : at etiam demonstravi, Rom. Pontifici competere jus restringendi hanc potestatem, quod Barthelius non negat : ostendi insuper, adfuisse caussas hujus limitationis justas et sufficientes, et ideo dico, tuas sequelas et interpretationes, quas ex Barthelii verbis deducis, falsas esse, nec attentionem meretur, quidquid in tuum favorem dicant Launoius et Gibert.

Ad 14. His attentatis, de quibus sollicitus est Febronius, per concilium Tridentinum jamjam satis præcautum fuit, quod episcopi tanquam apostolicæ sedis delegati possint procedere contra regulares exemptos. Si vero hi sua privilegia ultra, quam par est, extendant, aut quid contra justas episcoporum ordinationes moliantur, habent hi Romæ suos agentes, sicuti mendicantes ibi habent suos generales; hinc nulla timenda

est circumventio aut obreptio, nisi fors in prima relatione, quod ex utraque parte contingere potest, et de quo similiter etiam contra episcopos quandoque conquesti sunt summi Pontifices. Radix ergo, quam tolli vult Febronius, tot mala non parturit, quin amplius parturire non potest, si utrinque serventur justi limites.

Ad 15. Si tam malæ, tam abominabiles sunt exemptiones, vellem ego scire, quare post sæculum jam sextum liberum fuerit fundatori alicujus monasterii de hoc oblationem facere, cui voluerit episcopo, metropolitano aut Papæ, atque prælati, qui acceptarunt talem abbatiam, habiti sint pro ordinariis, in quacunque dein diœcesi illa consisteret, et quin reclamarint episcopi? uti ipsemet Febronius num. 5, ex Benedictinis Maurianis *traité diplomat.* tom. V, pap. 107, probat. Novimus quoque, sæpius ab episcopis, Regibus, principibus, aliisque fundatoribus talia nova monasteria Rom. Pontifici in tutelam et potestatem oblata, atque subjecta fuisse, cit. loc. Ita etiam Petrus Cluniacensis de suo monasterio et aliis contra D. Bernardum testatur lib. 1, epist. 28. Hac via ut plurimum exemptiones ortæ sunt: attamen non male, quin potius optime se agere crediderunt fundatores, nec sua jura opponebant episcopi. Igitur jam ante Isidori decretales circa exemptiones episcopis, Regibus etc., insedit opinio atque doctrina alia, quam quæ hodie a Febronio, aliisque prædicatur.

Quod si Bossuetus episcopus Meldensis in famosa defens. declarat. cleri Gallic. exemptionibus infensus sit, id exigebat operis sui œconomia; attamen sua argumenta non constant; Papa enim non per se collegiis, monasteriis, monachis, mulieribus, sed per generales, et inferiores ordinum superiores invigilat, quod utique facile et optimo ordine fit; ut ergo rationes Bossueti vincant, ostendere debuisset, florentiorem in clero sæculari et regulari, cui episcopus immediate invigilat, quam in regulari exempto disciplinam vigere, cui Papa per superiores ordinum prospicit.

Per hactenus dicta jam præoccupata atque convulsa sunt, quæ Febronius in posterioribus suis tomis contra regulares et eorum exemptiones ultra adducit, repetitque. Improbum laborem sustinuit, quando ordinationes, mandata, edicta, responsa circa regulares, et præcipue extinctionem Jesuitarum, quæ ex aulis Viennensi, Madritensi, Parisiensi, Veneta emanarunt, fusissime exscripsit. Potuisset fors hodie plura adhuc addere. Nos debitum cultum et reverentiam erga potestates civiles servamus, profitemurque: principum arcana non rimamur, sed Febronio, ejusque sequacibus ad sua argumenta respondemus, atque ostendimus, multa non vera, mala non tot ac tanta fuisse, uti hi exaggerant, alia vero aliam intentionem et finem habuisse; a talibus ergo scriptoribus, mirum non est, quod sæculi

Magnates falsis argumentis atque consiliis, quantumvis optimi, facile circumveniri possint. Pariter quia de regimine ecclesiastico nobis sermo est, utique auctoritates non a laicis, non a factis principum mutari, sed ex fontibus ecclesiasticis peti debent, quamvis etiam illæ ex remotioribus sæculis patrocinentur.

Ne quis tamen existimet, hoc sæculo in omnibus aulis politicis et curiis principum adeo profligatam esse caussam regularium, addo, quæ Ludovicus XV, Rex Galliæ, 26 Martii, anno 1768, in suo edicto declaravit : *Nos nobis obligationem semper imposuimus, ut illi inter nostros subditos effectus protectionis sentiant, qui a vero perfectionis desiderio excitati, sese Deo votis religionis solemnibus mancipant, et valedicto rebus societatis civilis exterioribus, eidem non minorem servitutem præstant, virtutum eorum exemplo, et eorum precum fervore, curisque ministerii, quibus Ecclesia eos sociavit. Sed quo professio religiosa sanctior est, atque utilior, eo magis affectio, qua nos illos prosequimur, qui eam amplectuntur, vigilantiam nostram excitare debet super ea omnia, quæ monasticam disciplinam enervare possunt, cujus conservationi ea ordinum religiosorum est adstricta. Lætamur itaque, in nostro regno, cernentes numerum religiosorum haud exiguum, qui laboriosa et regulari eorum vita spectaculum exhibent ædificans.*

Advocatus parlamenti Parisiensis Le Vayer de

Busigni in libello de ætate professionis religiosæ a Rege sancita protestatur, *sibi maximam tristitiam allaturam, si crederetur, se eum dictasse intentione illi existimationi et venerationi contraria, quam pro monastica professione habere debet, vel hunc libellum directe aut indirecte tendere ad imminutionem illius sanctæ et gloriosæ militiæ, quæ vigilat, et diu noctuque in claustris pro gloria Dei, pro principis et populorum salute decertat. Persuasus est Rex, et quilibet alius in mundo, hanc sanctam professionem esse cœli januam inter cæteras securiorem, faciliorémque, et impietatem esse eam claudere.* Hæc ultima verba ab parlamenti advocato Gallo profecta, a lectore sibi notari volo. Testatus est Josephus I, Rex Portugalliæ, epistola ad Josephum Antonium de Souza Pereira, universitatis Conimbricensis vice-rectorem, die 14 Decemb. anno 1768, *Religiones supra Dei altaria plurimos et magni nominis sanctos elevasse: qua de re æquo jure omnem existimationem promerentur.*

§ IX.

Quod episcopi cardinalibus serius fuerint postpositi, non debet, neque potest præjudicare illorum ordini, ex divina institutione absolute primo.

Antiqui Patres, et ecclesiasticæ hierarchiæ scriptores, atque concilium Tridentinum epis-

copos, presbyteros, et diaconos connumerant, nulla facta mentione cardinalium, ideo ordinatione divina non sunt instituti, neque episcopis superiores. Caussam eversæ nunc hujus disciplinæ refert Bellarminus lib. 1, de cleric. tom. II, quia ad solos cardinales devoluta est electio summi Pontificis, ita ut ipsi soli eligant, et ut plurimum eligantur, dein quia soli cardinales cœperunt adesse summo Pontifici in consiliis, hinc non sine caussa pluris fieri cœpit dignitas cardinalitia, quam antea. Primis sæculis vel octingentis annis Pontifices in gravioribus negotiis cogebant concilia nationalia episcoporum Italiæ. Crescentibus postea negotiis Ecclesiæ Romanæ, et præcipue accessione principatus temporalis, Pontifex multo sæpius egebat consiliariorum ope, quam antea; sic cœperunt omitti concilia, et tota res redigi ad senatum cardinalitium. Facta autem hac mutatione, mirum esse non debet, si etiam facta sit mutatio dignitatum. Ergo mutatus est ordo a Christo institutus, et postposita *episcopalis eminentiæ divina auctoritas*, quia 1, mutatum est jus eligendi Pontificis. 2. Quia multiplicata sunt negotia ecclesiastica. 3. Quia accessione dominii temporalis aucta sunt negotia curiæ Romanæ. 4. Quia hæ rationes suaserunt loco episcoporum exteriorum ad consilium vocare presbyteros et diaconos Romanos. Verum ad 1, utrum ordo hierarchicus ad formam genuini regiminis ecclesiastici a Christo adaptatus, et optimo

successu multi sæculis servatus circa jus eligendi Pontificis ita alterandus fuerit, aliorum esto judicium. Ad 2. Utique post falsas decretales et assumptam formam monarchicam, crevit negotiorum moles, sed utrum bene? Ad 3. Cura temporalium non debet mutare statum ecclesiasticum, sed ne quidem in hunc influere: hoc evenisse doluimus. Ad 4. Christus summo Pontifici in regimine Ecclesiæ adjunxit episcopos, non solum ut consiliarios, sed ut comministros et cooperatores. Hoc institutum Romana sedes hucusque saltem in eo servat, quod ex stylo curiæ Papa episcopis *fratres* nominat, cardinales *filios*.

1. Cardinales presbyteri et diaconi olim erant urbis Romæ parochialibus ecclesiis præfecti. In concilio Romano, anno 993, Claromontano anno 1095, post episcopos subscripserunt. Nicolao I, sedente, eorum dignitas extolli cœpit. Sub Alexandro III, accepit incrementum. Sub Innocentio IV, sessionis honorem supra episcopos obtinuerunt. Sub Bonifacio VIII, æquales principibus declarati sunt. Vult equidem auctor, eos non a suo gradu deturbare, sed ostendere rei conditionem et naturam, ut quædam indignitates aut evitentur, aut emendentur.

Ad 2. Nicolaus de Clemangis tract. *de corrupto Ecclesiæ statu* ait, cardinalibus olim fuisse negotium, *ut efferendis mortuis, sepulturæque mandandis inservirent: nunc sua phylacteria dilatare, episcopos episcopellos passim vocare,*

patriarchas, primates, archiepiscopos infra se positos despicere, ut ab his se prope adorari sinant, quin etiam Reges ipsos æquiparare contendant : simul monachos, canonicos, regulares, sæculares esse sub eodem habitu, beneficia centena, ducentena, interdum quadringenta et amplius possidere, omnium pinguissima et optima. Testatur Febronius, se vidisse Romæ omnia per obitum Francisci de Aquaviva cardinalis vacantia beneficia a Papa defuncti nepoti, tunc abbati, postea cardinali Trajano de Aquaviva simul et semel conferri, et fuisse numero *centum et undecim.*

3. Bartholomæus de Martyribus videns in congregatione coram Pontifice cardinales sedentes et tectos, episcopos vero ætate, doctrina ac virtute venerandos per plures horas nudato capite stantes, soluto conventu, Papam interrogavit, qua conscientia id ferat, cum cardinalitia dignitas *humani*, episcopalis e contra *divini* instituti, et episcopi Romani Pontifices *fratres* sint? respondit Pontifex, hunc usum jam diu vigere. Regessit Bartholomæus, pellendum a curia abusum, qui *dominatum in clero* saperet. Pontifex altera die episcopis sedes in congregationibus assignavit, agens, sibi a Braccarensi archiepiscopo veritatem dictam esse. Cardinalis Alexandrinus, postea Pius V, in episcoporum corona dixit, *honores sanctorum Bartholomæo post obitum negari non posse, qui vivus tantum fecisset miraculum.*

4. Zallwein ait : quando incœpit crescere auctoritas Pontificis, crevit etiam auctoritas cardinalium. Intererat enim Pontificis pro stabilienda sua auctoritate, ut suis cardinalibus novos honorum cumulos affunderet, et auctoritatem metropolitarum suo modo deprimeret. Et quia Pontifices non raro ipsos episcopos spectatiores in cardinales assumerent, hi facile adduci potuerunt, ut incremento auctoritatis cardinalitiæ suffragarentur.

NOTA.

Pronum erat, ut Febronius, postquam primatem Ecclesiæ, et summos Pontifices, sæpe etiam sanctissimos, toto hoc opere exagitavit, accusavit, judicavit, condemnavit, ludibrio et odio exposuit, depressitque, tandem etiam in cardinales impingeret. Clamat, institutum Christi eversum esse : sed quis magis evertit, quam ipse Febronius? Christus Petrum fundamentum ædificandæ Ecclesiæ constituit, eique præ cæteris apostolis tanquam primati ibidem specialem adhuc in universa terra ligandi atque solvendi potestatem contulit. Matth. 16.

Febronius e contra Petrum non fundamentum Ecclesiæ, sed Ecclesiam fundamentum Petri esse voluit, potestatem ligandi et solvendi eidem non in universa terra, sicut Christus voluit, concedit, sed eam ad solam episcopatus Romani Ecclesiam restringit.

Christus Petrum omnium suarum ovium, et totius gregis pastorem constituit. Joan. 20, atque, uti orat Ecclesia in missa, pastorem Ecclesiæ esse voluit.

Febronius divino huic pastori virgam excutit, vocare, clamare, hortari, orare, gemere concedit, virga regere, pascere prohibet; imo inferioribus pastoribus, ovibus, quin et toti gregi subjicit, ut jam non sit pastor, sed sicut una ex ovibus. Hæc, Febroni! totam institutionem Christi hierarchicam fundamentaliter evertunt.

Interim pernego, falsumque est, quod per prælationem cardinalium, institutum Christi evertatur. Cardinalitia dignitas *juris humani* est, concedo: episcopalis potestas *a Christo;* etiam hoc non abnuo. Sed quæritur, in quonam consistat illa prælatio? episcopi sua potestate certo potiores sunt cardinalibus, quis hoc negat? primum et specialiorem locum in Ecclesia, in choro, in capitulo, in processionibus tenent juxta can. *episcopus in Ecclesia.* Dist. 95, decretum Tridentini sess. 25, cap. 6, de reform., et Benedict. XIV, lib. 3, *de synod. diœces.* cap. 10, n. 1. Habent ergo episcopi præcellentiam potestatis et ministerii, de qua ipsis nihil detrahitur. E contra cardinales potiorem locum tenent in consistorio Pontificis, in congregationibus, in conciliis etc., ubi nulli actus et functiones hierarchicæ intercedunt, idque non ex dignitate potestatis, sed propter officium. Honorificentia

hæc mere extrinseca est, et ab aliorum arbitrio dependens, sicuti consiliarii aulici nobilibus et equitibus Imperii, quamvis hi status Imperii sint, præferuntur. Non legimus, Christum honorem hunc extrinsecum apostolis et episcopis præcepisse, sed potius prohibuisse.

Bellarminus hujus præeminentiæ cardinalium causas affert, quem Febronius refellit, sed male. Nam primo : si male actum fuit, quod jus eligendi Pontificem a clero et populo ad Ecclesiæ Romanæ presbyteros et diaconos translatum sit, pejus adhuc actum fuit, quod jus eligendi episcopos ne quidem ad præcellentiores diœcesis presbyteros, scilicet ad abbates, imo nec ad omnes presbyteros Ecclesiæ cathedralis, sed ad solos canonicos, et inter hos etiam ad subdiaconos, quandoque meros clericos minores translatum sit. Tu provocas ad aliorum judicium : de hoc igitur collegia cathedralia respondebunt. *Secundo* aucta sunt post sæculum VIII negotia, non per falsas decretales, neque per assumptam formam status monarchici, sed quia partim adhuc accedebant in occidente multæ conversiones regnorum et populorum ad fidem catholicam, in oriente hæreses, tumultus in Ecclesia continuo grassabantur, partim quia, propter continua bella, concilia provincialia intermittebantur, sæpe ipsa hæc concilia de prævaricatione merito accusabantur, indigna statuebant, episcopos vel alios opprimebant, dissidia et lites oriebantur, disciplina

ut plurimum corruebat; unde necesse fuit, ut Papa curam et auctoritatem pro bono et pace Ecclesiæ amplius extendat, sicque cum cura atque postulante necessitate etiam negotiorum et laborum moles excrevit. De eo jam quæritur, an Ecclesiæ magis proficuum, et officio primatis atque capitis consentaneum fuisset, collabentem disciplinam non erigere, male acta in conciliis non refricare, emendare, injuste oppressos non defendere, lites non terminare, quam tot negotia ad tribunal summi Ecclesiæ pastoris attrahere, discutere, corrigere, judicare, terminare? hæc tibi ad tuum dubium supra § 5, n. 5*, respondentur. *Ad tertium.* Utique cura temporalium non debet mutare statum ecclesiasticum: attamen etiam propter illam Pontifex sæpius, quam antea, egebat consiliariorum ope, et episcopi semper, aut toties adesse non poterant, neque id ad officium episcoporum proprie pertinebat, igitur de aliis sibi providere debuit, qui continuo adsisterent. At, propter majorem consiliariorum numerum, status ecclesiasticus in substantia mutatus non fuit. *Ad quartum.* Dicit, cardinales solum *consiliarios* Papæ esse, non *coadjutores*, hoc episcoporum officium esse, et quidem jure divino: hoc etiam dixisse nationem Gallicam in concilio Constansiensi; allegat suum tomum III et IV, indeque cit. tom. IV, dissert. 9, n. 3, infert: *qui cardinales dicunt in curanda universali Ecclesia summi Pontificis coadjutores, et*

in judicando christiano orbe conjudices, non loquuntur ex spiritu Ecclesiæ.

Sed quid faciet D. Bernardo, qui et ipse Gallus longe ante concilium Constantiense lib. 4, de consid. cap. 4, ad Eugenium P. de cardinalibus ita scribit? *veniamus ad collaterales, et coadjutores tuos. — — An non eligendi de toto orbe, orbem judicaturi?* An fors Bernardus iterum Isidorianus est? an Bernardus non habuit spiritum Ecclesiæ, vel ex eo locutus non fuit, qui supra, juxta Febronium, contra regularium exemptiones optimo Ecclesiæ spiritu flagrabat, et quidem in eodem libro, de consideratione, quem tanti habet, sæpiusque allegat Febronius.

Citat nationem Gallicam, et quidem in concilio Constantiensi : sed prius huic concilio maculas absterge. Nunquid Galli fuerunt, et in hoc concilio fuerunt, qui volebant, omnes doctores, magistros, parochos in concilio votum decisivum habere, et conjudices esse, uti dissert. de conc. Constant. ad caput 6 ostendimus? et cardinales de statu totius Ecclesiæ omnibus aliis melius instructi, rerum experientia magis præpollentes conjudices non sint, nec esse possint! at privatus ruricolæ plebis curator talis sit? Ubinam legitur, aut invenitur talis concilii generalis forma et ordo, qualis in Constantiensi, ubi in partes itum, nationes se dividebant, suffragium ferebant, qui nullo jure habebant, decreta tantum ad vocem quatuor aut quinque hominum,

et quidem nomine nationum concludebantur? jam

Ad 1. Quænam sunt istæ indignitates evitandæ aut tollendæ? Episcopi potestate, et ministerio potiores, excellentiores sunt : sed nullibi in SS. Scripturis legimus, quod alios præcedere, omnibus præponi, et extrinseco honore præferri debeant, sed, e contra, quod humilitatem sectari, ad exemplum Christi *ministrare*, non *ministrari* debeant, quod nulla inter eos debeat esse contentio, *quis eorum videretur esse major*, sed etiam ille, qui *præcessor* est, *fiat sicut ministrator*. Hoc de honore extrinseco apostolorum institutum esse legimus. Non igitur Christi institutum evertitur, si præcedant cardinales.

Ad 2. Nicolaum de Clemangis dico irrisorem et cavillatorem esse, quod toti collegio cardinalium, et omnibus æque etiam piis ac doctis viris, qui hactenus fuerunt, tantas calumnias impingat. Testimonia non desunt publica et maximæ auctoritatis, quod multi similibus præventionibus imbuti Romæ ex professo in vitam et mores cardinalium inquisiverint, etiam ad familiaria colloquia usque admissi; postea admirabundi humilitatem, pietatem, doctrinam, parsimoniam eorum satis deprædicare non poterant. Si fors hinc inde unus, alterve cervicem erexit, et phylacteria sua nimium dilatavit, num id absque injuria et detractione omnibus imputare potest?

Falsissimus quoque in eo est Clemanges, quod cardinales quadringenta, quingenta et amplius

beneficia possideant, et quidem omnium pinguissima. Sed et Febronius non minus de falsitate convincitur, qui hoc Clemangis mendacium confirmaturus, de proprio visu testatur, quod per obitum cardinalis Francisci Aquavivæ *centum et undecim* beneficia vacaverint, eaque simul et semel ejus nepoti collata sint. Rei veritatem experturi P. Sangallus et Viator a Coccaleo Romæ in dataria fidelem extractum ex registris desumpserunt : erant autem beneficia cardinalis Aquavivæ tantummodo *sexdecim*, quæ ut plurimum simplicia erant, et quorum octo vix 50 scuta Romana conficiebant, ita ut hæc simul sumpta ne quidem pro sustentatione annua unius clerici sufficerent; universim vero omnium redditus summam scutorum 8377 conficiebant. Bene hi auctores addunt, unicam sæpe præposituram, non dico, minimum episcopatum in Germania amplius importare. Febronio autem facile fuit 95 beneficia mendaciter addere.

Ad 3. Bartholomæus de Martyribus bene suasit Pontifici, ut episcopi, qui fratres sunt Rom. Pontificis, sedeant in congregatione; hoc dignum et justum erat, quamvis alius usus vigeret : at non persuasit, ut in iisdem congregationibus præponantur cardinalibus, quia non semper sunt præsentes, et hoc ipso in publicis totius Ecclesiæ negotiis ac statu minus experti, dum singulares tantum diœceses regunt, ignari quid alibi in tota Ecclesia agatur; unde consilia cardinalium quibus hoc negotii incumbit, atque suis

conciliis Pontifici viciniores adesse debent, et promptiora et aptiora sunt.

Porro quod emendari voluit Bartholomæus de Martyribus, sedulo notavit Febronius, quod laudavit, reticet, scilicet quod Roma ad concilium Tridentinum redux teste, Pallavicino lib. 23, c. 7, miris modis commendaverit Pontificem, ejusque summum studium reparandæ disciplinæ, præsertim quod spectabat ad cardinales.

Ad 4. An ignorant forte Zallwein atque Febronius, quod in Ecclesia Constantinopolitana septem diaconi cruciferi, quin etiam syncelli, id est, simplices clerici aut monachi familiares et commensales patriarchæ in synodis loco superiore, et præ episcopis consederint, uti *observat* Christianus Lupus in schol. et not. ad canon. conciliorum tom. II, pag. 1474, et tom. III, pag. 441? Cur legati Pontificis in conciliis, etiam solo presbyteratu vel diaconatu insigniti, præ episcopis priorem locum occupant, et ante hoc subscribunt, quod in antiquissimis conciliis vidimus? si hic abusus, si contra institutum Christi est, tunc abusus jam a primis sæculis in utraque Ecclesia orientali et occidentali viguisset, et Christi institutum eversum fuisset. Sed non ita sentiebant, aut rem interpretati sunt veteres episcopi atque Patres.

Tandem oculos ad ipsas Ecclesias episcopales et collegia canonicorum convertant hi viri, *dicantque*, quare canonici, diaconi, subdiaconi etc.

præ sacerdotibus, qui canonici non sunt, in choro, in synodo, in processionibus, et ubique priorem et eminentiorem locum occupent, his ad inferiora subsellia remissis, nisi quia canonici collaterales episcopi dicuntur, et cum eo unum corpus efficiunt? verum sic in omnibus ecclesiis cathedralibus, collegiatis, et ab ipsis episcopis divinitus instituta hierarchia, atque institutio Christi non servatur, quin potius evertitur.

§ X.

Qua via episcopi in sua jura redire queant, ostendit cancellarius Gerson.

Gerson *tract. de stat. Eccles. tit. de stat. prælat. considerat.* 9, tom. II, suggerit, quod si status episcopalis in suis juribus essentialibus absque utilitate majori Ecclesiæ communiter restringeretur per exemptiones, reservationes, exactiones vel restrictiones stipendiorum, onerosa privilegia, tunc querelam posset deferre ad Papam, ad concilium generale, ad principes orthodoxos. His juvat pro episcopis addere, quod ad senatum dixit Romanus orator: *vos oro, obtestorque, judices, ut in sententiis ferendis, quidquid sentietis, id audeatis.*

1. Joannes XXII. *Extravag. de verb. signif.* cap. 3, ait: *nunquid non grave ecclesiarum prælatis et rectoribus potest existere, quod ipsos*

oporteat se opponere sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ ipsorum caput noscitur, et magistra, ac cum ea agendo vel defendendo litigare assidue, vel recedere juri suo? Hoc posterius non possunt episcopi sine prævaricatione, ergo prius, *assidue litigare,* utcunque grave amplectendum est.

2. Deus posset remedium ferre, si Romani persuasum, et identidem præ oculis haberent, quod legitur in decreto Gratiani dist. 99, can. 5. *Episcopis subtrahitur, quod Romano Pontifici plus, quam ratio exigit, præbetur.* Attamen extraordinaria deberet esse hæc gratia, quia ipse Pius V, tales mutationes inter miracula numeravit paragrapho præcedente.

3. Præter illa tria media, quæ supra Gerson suadet, an non possunt episcopi per seipsos suarum sedium, suique ordinis jura, canonicis innixa statutis, contra quoscunque tueri et vindicare? sic visum fuit episcopis in quadam synodo Anglicana, anno 787, congregatis apud Harduin. t. III, concil. col. 2075, ubi canone 8, statuunt : *ut privilegia antiqua a sancta Romanæ Ecclesiæ sede delata ecclesiis omnibus conserventur : si qua autem propter assensum pravorum hominum contra canonica instituta conscripta sunt, avellantur.*

NOTA.

Gerson toti Ecclesiæ jura et leges dare non debet, nec poterit, et si tanquam privatus doc-

tor media suggerit, non ideo amplecti debemus: attamen si rem expendamus, adhuc Febronio longe modestior est; vult, ea media solum arripienda esse tum, quando a Papa gravamina imponuntur sine causa, *absque utilitate majori Ecclesiæ.* Febronius et causam et utilitatem semper abfuisse, et abesse supponit, nulla ulteriori indagine facta, et ideo usurpationes, fraudes, oppressiones vocat, vult reservationes, restrictiones, subsidia, exemptiones semper injustas fuisse, et adhuc esse, quod aperte falsum esse, dilucide ostensum fuit.

Gerson recursum suadet ad Papam, et ad concilium generale: huic neque ipsi summi Pontifices refragantur, sed gravamen debet esse certum, injustum, et concilium debet esse legitimum, unitum Papæ, non acephalum, non seditiosum, non tale, quale Basileense fuit. Gerson suadet etiam recursum ad principes orthodoxos, sed non ut hi sint judices, quod utique per canones semper prohibitum fuit, neque ut ea media arripiant, quæ in eorum potestate reponit Febronius, sed patrocinando, et ideo Gerson priora duo media vocat *convenientissima,* patrocinium autem principum *juvamen opportunum.*

Sententiæ Romani oratoris illud D. Pauli prædicatoris gentium aptius oppono; nam ab hoc et aliis Ecclesiæ doctoribus, non ab oratore Romano Cicerone episcopi Ecclesiæ catholicæ legem

atque doctrinam ediscere debent: *Audet aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos? — — sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles?* 1. Corinth. cap. 6. Addo et aliud, quod Febronio et suis asseclis intuitu totius sui operis et principiorum, quæ male usurpant, adhuc magis opportune, quin et aptissime adplicatur: *finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. A quibus quidam aberrantes conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*

Ad 1. Ubinam Joannes XXII, episcopis offert, aut quasi pro regula præscribit, quod debeant *vel assidue litigare* cum Romana Ecclesia, *vel juri suo cedere?* an non potius, ne utrumque fiat, præcavet in cit. extravagante? quia ex male intellecta verborum significatione sæpe dubia et contentiones oriuntur. Dein ubi in evangelio legitur, Christum suos discipulos ad contentionem, litigia, prætensiones, et non potius ad humilitatem, pacem, subjectionem instruxisse, hortatumque fuisse, ita ut percutienti unam maxillam etiam alteram, et rapienti pallium tunicam quoque præberent? an non Paulus Timotheo diserte præscripsit: *oportet episcopum non litigiosum esse?* hæc doctrina evangelica cum illa, quam suadet Febronius, *assidue litigare*, non convenit.

Sed ais : *non possunt cedere juri suo sine prævaricatione.* Respondeo, non possunt cedere juri suo, id est, suo officio deesse, aut jus suum cedere alicui, qui illud non habet, nec habere potest : at possunt cedere universali pastori et primati, qui illud aliunde, nempe ex officio universalis primatus, jam habet, præcipue si sint jura mere ecclesiastica, successive per canones introducta, imo cedere debent, si hoc ratio, major utilitas et bonum Ecclesiæ postulet; hac via dispensationum et beneficiorum reservationes, etiam non invitis episcopis, introductas fuisse, suis locis demonstravimus.

Ad 2. Vera est decreti sententia, sed notari debent ea verba : *plus quam ratio exigit.* Ergo si ratio exigit, et quantum ratio exigit, Rom. Pontifici præberi potest, et debet, et inde episcopis, vel nihil subtrahitur, vel de substractione juste conqueri non possunt. Ast Febronius novit omnes rationes, omnia ponderat, quævis arcana pervadit, nullibi rationem invenit : igitur juxta ipsum, *quidquid Rom. Pontifici præbetur*, et unquam *præbitum fuit, episcopis substractum est.* Nos in hoc Febronio eo ipso assentiri non possumus, quia id sufficienti ratione nondum demonstravit. Cæterum, ad indecoras Febronii artes pertinet, quando id, quod cardinales Alexandrinus, postea Pius V, Papa, per jocum dixit, jocum in serium atque veritatem vertendo, revera *miraculum* nominet, atque *extraordinariam*,

efficacemque Dei gratiam ad hoc opus esse contendat. Si ita est, magna *miracula* patrarunt jam multi Pontifices, qui episcopis sua jura servari voluerunt, idipsum contestati sunt, et actu servarunt.

Ad 3. Valet quartum votum aut postulatum, sed non nisi cum debita subordinatione et dependentia ad primatum Pontificis : hac omissa, Febronius monarchiam Papalem quidem deprimit, sed tot iterum erigit, quot in mundo diœceses et episcopi sunt. Decretum vero concilii Anglicani id ipsum, quod Febronius hìc probare nititur, optime refellit; quippe synodus vult *conservari privilegia ab apostolica sede concessa ecclesiis* : igitur illa sedes habet potestatem *privilegia* concedendi; hæc genuina et legitima esse agnoscit concilium Anglicanum; Febronius, e contra, nulla et illegitima esse vult : per illa privilegia episcopis nihil detrahitur; sed datur; Febronius putat in omnibus detrahi episcopis, et Pontifici addi. Denique hìc non de defensione privilegiorum et jurium contra Pontifices, sed contra *pravos homines* agit synodus, atque ea privilegia, quæ non *a sancta Romanæ Ecclesiæ sede* sunt *delata*, ea *contra canonica instituta* conscripta esse intelligit, et præter illa, nulla alia canonica agnoscit, ideoque vult avelli : hæc ex verbis canonis aperta sunt.

Pro conclusione hujus capitis contra Febronium et ejus asseclas duo adhuc opponere, sci-

licet testimonium Amorti, quo contra apostatam Marcum Antonium de Dominis probatur, episcopos in ordinem *Vicariorum Papæ* nunquam fuisse redactos, dein quasdam propositiones Wicleffi, et Hussi in concilio Constantiensi, item Lutheri a Leone P. X, et concilio Tridentino damnatas.

D. Amort in *vindiciis jur. eccles.* tom. III, dissert. 3, proposit. 7, contra Antonium de Dominis etc. etc., sic pronuntiat : *calumniose scribunt, qui docent, ob multiplices ejusmodi reservationes Pontificias, episcopos in ordinem* Vicariorum Papæ *redactos, atque ordinem hierarchicum subversum esse.*

Marcus Antonius de Dominis in libro *de republica christiana*, in qua suam ab Ecclesia catholica apostasiam purgare nitebatur, ita scripsit : *quid sunt jam episcopi sub Romano potentatu? in temporalibus quidem, ubi opima sunt sacerdotia, et dignitate eminent sæculari, Magnates sunt, conspicui sunt, principes sunt, sed episcopi, nisi æquivoce nequaquam sunt. Reliquorum vero episcoporum episcopalis dignitas et potestas tota periit. Regimen enim omnium ecclesiarum totum est Romam redactum. Ipsi vero episcopi sunt Domini Papæ vix vicarii et administri, viles, contemptibiles, oppressi ; conculcati, subjecti miserabiliter non soli Papæ, sed cardinalibus, totque congregationibus contra illos Romæ institutis, legatis a latere, nuntiis apostolicis, inquisita-*

toribus, visitatoribus, ac demum regularium innumeris ordinibus, eorumque fratribus, qui jam suis apostolicis privilegiis non æquantur modo episcopis, sed eos etiam superant, impediuntque in regendo, ac eorum absorbent potestatem. Hactenus ille apostata : sed eadem vox est Febronii et suorum sequacium, ut unum ex alio loqui vix negaveris. Sed omnes simul ita refellit Amortus.

Hæc omnia calumniose scripta esse, facile agnoscet, qui perpenderit, quanta episcopi Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ et Hungariæ præstiterint sub ipsis ferme hujus turbati ingenii oculis, auctoritate propria, nullo interveniente imperio Papæ edidit S. Carolus Borromæus non vicaria, sed ordinaria potestate, sanctissimas leges in sex conciliis Mediolanensibus anno 1565, 1569, 1573, 1576, 1579 et 1582, *similes leges editæ fuerunt in concilio Toletano* 1565, *Mechliniensi* 1570, *Rothomagensi* 1581, *Rhemensi* 1583, *Burdigalensi* 1583, *Turonensi* 1583, *Bituricensi* 1584, *Aquensi* 1585, *Cameracensi* 1586, *Tolosano* 1590, *Avenionensi* 1594, *Aquileiensi* 1596, *Diamperiensi* 1599, *Mechliniensi* 1607, *Parisiensi et Aquensi* 1612, *quod ipsum contigit in synodis diœcesanis fere omnium episcopatuum. Quis autem illorum episcoporum somniavit, se in concilio vel synodo ferre legem potestate vicaria Papæ?* 2. *Ab episcopo appellatur ad metropolitanum, non vero ad metropolitanum appellatur a vicario Papæ.*

3. *A vicario episcopi non appellatur ad episcopum : e contra, ab episcopis adpellatur ad Papam ; non ergo episcopi sunt vicarii Papæ.* 4. *Episcopis a S. Pio V, ubi a ducentis annis alia consuetudo viguit, per bullam,* quo primum, *non fuit imposita obligatio recipiendi nova missalia Romana, et Paulus V, in bulla,* Apostolicæ, *ad recipiendum novum rituale solum hortatur. Ergo non sunt meri vicarii Papæ.* 5. *In materia correctionis, visitationis, habilitatis et criminalibus nequidem datur appellatio ad Papam, prout constat ex Tridentino. Ergo episcopi non sunt meri vicarii Papæ.* 6. *Etiam regulares exempti dependent ab episcopis, quoad approbationem, quoad leges diœcesanas generales, quoad disciplinam ecclesiasticam, clericalem, et quoad centum alios casus specificatos a Chokier.* 7. *Episcopi non serviliter ac cæco modo recipiunt leges Pontificias, sed eas examinant, an sint relatæ ad particulares circumstantias locorum, temporum et personarum æquitati naturali, prudentiæ legislativæ, regulis sacrorum canonum præstabilitis, concordatis, privilegiis, juribus principum, moribus ac consuetudinibus nationis attemperatæ, et num sint juxta rationem melioris ad salutem animarum, gloriamque Dei congruentiores? et in dubio, an ita sint comparatæ, consultant cum episcopis provinciæ, an recte habeant conditiones ecclesiasticæ legis ex natura sua fundatæ in ratione melioris et prudenti assensu episcoporum, tanquam con-*

synodalium Papæ, rationabiliter præsumpto. Hoc vero examen non convenit meris vicariis Papæ. Absit ergo omnis calumnia atque invidia : stant episcopis sua jura et potestas vere divina : sed et stare debet illorum subordinatio et dependentia cum primatu Rom. Pontificis æque divino, et Ecclesia nunquam non erit quasi *acies bene ordinata.*

PROPOSITIONES JOANNIS WICLEFFI

DAMNATÆ IN CONCILIO CONSTANTIENSI.

Proposit. 9. Post Urbanum V non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum, more Græcorum, sub legibus propriis.

10. Contra S. Scripturam est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones.

12. Prælatus excommunicans clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad concilium regni, eo ipso est traditor Regis ac regni.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solum actu delinquentibus.

22. Sancti, instituentes religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, et non per mendicitatem.

30. Excommunicatio Papæ vel cujuscunque prælati non est timenda, quia est censura Antichristi.

31. Peccant fundantes claustra, et ingredientes sunt diabolici.

ıristi.

synodalium Papæ, rationabili
vero examen non convenit rator er-
Absit ergo omnis calumn
episcopis sua jura et po ıt hære-
stare debet illorum sr ıt excom-
cum primatu Rom.
Ecclesia nunquam
dinata.

suis possessionem
ıci, eo quod posses-
onsentientes eis, omnes
sæculares et cæteri laici.

a est synagoga sathanæ, nec
ximus et immediatus vicarius
apostolorum.

s epistolæ sunt apocryphæ, et se-
nt a fide Christi, et clerici sunt stulti,
student eas.

nperator et domini sæculares sunt seducti
a diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

41. Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.

42. Fatuum est credere indulgentiæ Papæ et episcoporum.

44. Augustinus, Benedictus et Bernardus damnati

…nituerint, de hoc, quod ha-
…nes, et instituerunt, et
… : et sic a Papa usque
omnes sunt hære-

…nter introductæ sunt

…IONES JOANNIS HUSS

…EODEM CONCILIO DAMNATÆ.

…*sit.* 7. Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiæ catholicæ.

9. Papalis dignitas a Cæsare inolevit, et Papæ perfectio et institutio a Cæsaris potentia inovelit.

10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel alio, quod esset caput Ecclesiæ particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanæ Ecclesiæ particularis.

12. Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliam recipiat a Deo procuratoriam potestatem, quia ad illud officium vicariatus requiritur et morum conformitas, et instituentis auctoritas.

synodalium Papæ, rationabiliter præsumpto. Hoc vero examen non convenit meris vicariis Papæ. Absit ergo omnis calumnia atque invidia : stant episcopis sua jura et potestas vere divina : sed et stare debet illorum subordinatio et dependentia cum primatu Rom. Pontificis æque divino, et Ecclesia nunquam non erit quasi *acies bene ordinata.*

PROPOSITIONES JOANNIS WICLEFFI

DAMNATÆ IN CONCILIO CONSTANTIENSI.

Proposit. 9. Post Urbanum V non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum, more Græcorum, sub legibus propriis.

10. Contra S. Scripturam est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones.

12. Prælatus excommunicans clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad concilium regni, eo ipso est traditor Regis ac regni.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solum actu delinquentibus.

22. Sancti, instituentes religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, et non per mendicitatem.

30. Excommunicatio Papæ vel cujuscunque prælati non est timenda, quia est censura Antichristi.

31. Peccant fundantes claustra, et ingredientes sunt diabolici.

32. Ditare clerum est contra regulam Christi.

33. Sylvester Papa et Constantinus Imperator erraruut Ecclesiam dotando.

34. Omnes de ordine mendicantium sunt hæretici, et dantes eis eleemosinas sunt excommunicati.

36. Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eo quod possessiones habent, et consentientes eis, omnes videlicet domini sæculares et cæteri laici.

37. Ecclesia Romana est synagoga sathanæ, nec Papa est proximus et immediatus vicarius Christi et apostolorum.

38. Decretales epistolæ sunt apocryphæ, et seducunt a fide Christi, et clerici sunt stulti, qui student eas.

39. Imperator et domini sæculares sunt seducti a diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

41. Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.

42. Fatuum est credere indulgentiæ Papæ et episcoporum.

44. Augustinus, Benedictus et Bernardus damnati

sunt, nisi pœnituerint, de hoc, quod habuerunt possessiones, et instituerunt, et intraverunt religiones : et sic a Papa usque ad ultimum religiosum omnes sunt hæretici.

45. Omnes religiones indifferenter introductæ sunt a diabolo.

PROPOSITIONES JOANNIS HUSS

IN EODEM CONCILIO DAMNATÆ.

Proposit. 7. Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiæ catholicæ.

9. Papalis dignitas a Cæsare inolevit, et Papæ perfectio et institutio a Cæsaris potentia inovelit.

10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel alio, quod esset caput Ecclesiæ particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanæ Ecclesiæ particularis.

12. Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliam recipiat a Deo procuratoriam potestatem, quia ad illud officium vicariatus requiritur et morum conformitas, et instituentis auctoritas.

15. Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum ad inventionem sacerdotum Ecclesiæ, præter expressam auctoritatem scripturæ.

19. Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis et interdicti ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, et viam præparat Antichristo. Signum autem evidens est, quod ab Antichristo tales procedant censuræ, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus clerus principalissime procedit contra *illos*, qui denudant nequitiam Antichristi, qui clerum pro se maxime usurpabit.

22. Papa vel prælatus malus et præscitus est æquivoce pastor, et vere fur et latro.

23. Papa non debet dici sanctissimus, etiam secundum officium, quia alias Rex deberet etiam dici sanctissimus secundum officium, et tortores et præcones dicerentur sancti, imo etiam diabolus deberet dici sanctus, cum sit officiarius Dei.

26. Non eo ipso, quo electores, vel major pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus et manifestus successor, vel vicarius

Petri apostoli, vel alterius apostoli in officio ecclesiastico; unde sive electores bene, sive male elegerint, operibus electi debemus credere.

27. Non est scintilla apparentiæ, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesiæ militante conversetur, et conservetur.

28. Christus sine talibus monstrosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam Ecclesiam regeret.

PROPOSITIONES MARTINI LUTHERI.

Proposit. 24. Docendi sunt christiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

25. R. Pontifex P. successor non est Christi vicarius super omnes totius mundi ecclesias ab ipso Christo in B. Petro institutus.

26. Verbum Christi ad Petrum, *quodcunque solveris etc.* extenditur duntaxat ad ligata ab ipso Petro.

27. Certum, in manu Papæ aut Ecclesiæ prorsus non esse, statuere articulos fidei, imo nec leges morum.

28. Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum, aut hæresis contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per concilium generale, alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta est enervandi auctoritatem conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et judicandi eorum decreta, et confidenter confitendi, quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocunque concilio.

41. Prælati ecclesiastici et principes sæculares non male facerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.

Facile foret Febronii sententias cum quibusdam his articulis damnatis conferre, atque invicem consensum demonstrare. Plane in hoc speculo sese contueantur Febronius, Febroniani, moderni pseudo-canonistæ et theologi, politici, et quando, vel ubicunque invenerint, se eadem sentire, si nolint se corrigere, desinant amplius fidelibus scandalum præbere, alios seducere, larvam deponant, sciant se extra Ecclesiam jam existere, et sincere confiteantur, jam se vere catholicos non esse.

INDEX

RERUM TOMI QUARTI.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

FINIS INDICIS RERUM.

